



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Clavdii Espencei Theologi Parisiensis De Evcharistia, Eivsque Adoratione, Libri Qvinque

Espence, Claude d'

Parisiis, 1573

Liber Primuus, Qvi Est De Evcharistiae Adoratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30397



I

CLAV. ESPENCEI
THEOLOGI PARISIENSIS
DE EUCHARISTIA, ET EIVS
ADORATIONE,
LIBER PRIMVS.

Argumentum totius operis. Cap. I.



V M ESSEMVVS Pisciaci anno 1561. & quantoperè vrgeremus, & à ministris extraordinariis cõtenderemus ac exigeremus, quod est in Eucharistiæ sacramëto longè præcipuum, hoc est, Domini corporis atq; sanguinis in iis sacrosanctis mysteriis præsentiam, tantoperè contrà illi refugerent, restitarent, abhorrerent: subiit mirari, id nobis à duodecim Ecclesiæ, si Deo placet, reformatæ delectis adeò pernegari, quod ex eis duò selecti, mihi alias nominati, totidem ex nostratibus non adeò agrè concesserant. Horum, inquam, autoritatem, iure apud eos alioqui magnâ, cur iidem abnuissent, & abnuere ita pergerent, vehementer admirabar. Quarentique causam. fuit qui mihi tandem responderet, se ex eis nonnihil subauscultasse, quasi subdubitarent me ex hac, siquidem eam obtinerem, præsentia, illaturum adorationem, hoc est, dogma peræquè illis odiosum & inuisum. Tum ego, illaturus, inquam, sum quod in bona & vera consequentia inferendū videre mihi videbor. Et certè ad eum totius retrò Ecclesiæ Cat holicæ ritum probandum, pro-

A

pugnandumque videbar mihi aliquantulum paratus: sed iussus sum de rebus multò aliis lubitò pedem cum eis conferre. Aliquantò post in fortuito ea de re colloquio doctus quidam & multæ tum lectionis, tum etiam eruditionis Episcopus non minus mirabatur eum à nobis cultum sic vrgeri, cuius tamè, præter vnum Augustinum, & eius quidem locum vnicum, nullus in Ecclesia veteri testis, nullum extaret, graue præsertim & amplum, plenumq;, nec eleuatum, sed autoritate præditum testimonium. Vtrunque igitur nunc viderimus, & quàm rectè sequatur adoratio præsentiam, vel comes potius, adeoque coniuncta sit, & eius ritus cultusque in Ecclesia non vnū testem aut testimonium, verùm ad eò multorum, adeoque grauium & locupletum testium, vt vniuersalem inde conicere ac colligere liceat consensum Christi fidelium. Quanquam vnà vtrunque, simul, quod aiunt, & semel videre fuerit: & huius enim ritus cultusque Ecclesiastici ratio, certa constans & firma Ecclesiæ de hac præsentia fides est & confessio, vt Christum nimirum Deum hominè, vbi vbi fuerit, adorandū, sic proinde corpus eius & sanguinem, vbi præsentia cumque creduntur, & agnoscantur, personalis cum diuino VERBO vnionis ergò adoranda. Ideoque vt qui præsentiam non agnoscūt, & adorationem negant, suo dogmati consentientia dicunt, & iniuriam suo, vt ita loquar, iure faciunt: ita qui præsentiam nobiscum (dissimiliter licet) docent & vrgerent, adorationem tamen contra nos alij quidem indifferentem ponunt & statuunt, alij verò deponunt & destituunt, non magis sibi quàm nobis consentanea, aut minus dissentanea scribunt. Is est hodiernus vertiginis & contradictionis vbique spiritus: is dissensionis, cuius nihil interest quod dicat, modò contradicat: Hæc huius seculi mens, quod ait Poëta,

Martial.
5. 1. 4.

Insequeris fugio fugis? insequor:

Velle enim nolo, perditte: nolle volo.

Nos autem redeamus ad Deū pacis, & qualis hic fuerit Apostolicus, hoc est, Ecclesiæ primitiæ, adeoque Catholicæ, ritus, discamus simul & doceamus.

Testimonium Patrum Græcorum. Cap. 11.

Ngitur Dionysius, autor haud dubiè perue-
 stus (neque enim quis is fuerit, hîc dis-
 putamus) de iis quæ in sancta Synaxi olim
 iam fierent, suo (hoc est, prisco adeò) se-
 culo tractans. Pontifex, ait, diuina munera
 laude profecutus, sacrosancta & angustissima mysteria
 conficit, & quæ antè laudauerat, venerâdis operta & ab-
 dita signis, in conspectum agit, diuinâque mûnera reue-
 renter ostendit. Ac multi quidem sola in signa diuina
 prospiciunt: ipse autem diuino semper spiritu ad excelsa
 & sublimia signorum sensibilium initia, mysteria, & spi-
 ritualia exemplaria, spiritualibus siue intellectualibus
 mentis oculis intuenda, pontificali dignitate, merito, ac
 officio, munditiâque singulari, animi diuini, & sensus ad
 hæc arcana percipienda cæteris capacioris, attollitur. Et
 opertus quidem proponitur diuinus panis, & benedi-
 ctionis calix. Nec procul à fine spiritualis tantæ rei sen-
 sus, Sic, inquit, venerandissima cõsummat & perficit my-
 steria, eaque laudata & eximiis prædicata laudibus, ocu-
 lis subiicit, & in astantium conspectum agit. In signis il-
 lis diuinis, panis utique ac vini specie, sanctè ac reueren-
 ter ante omnium aspectum propositis. Vides hîc vete-
 rem Eucharistiæ populo ad colendum priùs quàm ve-
 scendum, qui etiamnum obseruatur, ut & ibi Scholiastes
 obseruauit, ritum. Vbi optauerim populum diligentius
 ex hoc pio patre doceri & admoneri, ut ne in signis tan-
 tum hæreat, sed ad res etiâ ipsas, cum sacerdote illi præ-
 eunte assurgat. Quid quod hic beatus pater sub eiusdem
 spiritualis sensus initium sic orat & inuocat? Sed ô diuinũ
 penitus sanctũque mysterium, obducta tibi significan-
 tium opera signorum dignanter aperiens, nobis pa-
 lam atque apertè luceſce, nostròsque spirituales oculos
 singulari & aperto lucis tuæ fulgere imple. Sic ille. Est
 autem oratio religionis actus, & inuocatio cultus ado-
 rationis. Et idem ex Damasceno, seniore an iuniore non
 magis hîc quàm paulò antè contendo, retentum obser-
 uatumque discere est, qui ubi de sanctis & incontamina-

*Ecclesiast.
 Hierarch.
 cap. 3. part.
 2. & 3.*

*Oratio ad
 sanctã Eu-
 charistiam.*

Lib. 4. cap.
14.

*Manus in
crucis mo-
dum for-
mare.*

Esa. 6.

*De consec.
dist. 2. can.
Quia cor-
pus. homil.
5. Paschali.*

*Homel. 61.
ad Antio-
chen. 3. ad
Ephes.*

tis Christi mysteriis fidem tradidit Catholicam, ad eorū etiam cultum sic hortatur, Proinde cum omni, ait, timore ac conscientia pura, & fide indubitata accedamus, & omnino fiet nobis quo modò credimus non dubitantes, & veneremur ipsum omni tum corporis, tum animi puritate. Accedamus autem desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, Crucifixi corpus suscipiamus, vt ignis in nobis, desiderij assumens eo ex carbone ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur, ac deificemur. Carbonem vidit propheta: carbo autē simplex non est, sed igni vnitus. Sic panis communionis non panis simplex est, sed vnitus diuinitati. En Christi corporis hīc venerandi rationem, eius nimirum cum Deo vnionem. Quo etiam spectans, vtroque Damasceno anterior Eusebius Emisenus, an Emesenus nihil hīc quoque interest, Græcus, credo, scriptor, sed cuius nihil præter paucas conciones, easque Latinas, extet, quod equidem audierim: Sit igitur penes Gratianum citantem, fides, & editionem Parisiensem, in lucem hunc edente D. Gagneio, anno 1547. Ait ergo, Sicut hoc, quod in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata deterfit, in Baptismo utiq; non oculis, sed sensibus tuis credis, siue sunt credita (sensibus scilicet interioribus) ita & tu, cum ad reuerendum altare salutari cibo, potūque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare (vel honora, mirare) mente continge, cordis manu suscipe, & haustu maximè interiore assume. Hic, dices, scriptor, quisquis sit, exigit cultum & vsum, sed interiorem, quem non controuerimus. Et hunc quoque, respōdeo, cum exteriori coniunctum volumus, vt cum esu sacramentali spiritualem. Ad eandem humanæ Christi naturæ cum diuina vnitæ in iis mysteriis præsentiam respiciens os illud aureum, D. dico, Ioannes Chrysostomus, non sine stomacho, sic inuehitur in raro communicantes, Considera, quæso, mensa regalis est apposta, ipse rex adest, tu astas oscitans? Sordescunt tibi veltimenta, & nihil est tibi cura? Squaler vitiorum sordibus animæ pallium, nec vlla rei tam absonæ inicitur tibi ratio? At pura

sunt vestimenta, pura est animæ tuæ stola: Mensæ igitur
 accumbe, adora, & communica. Per singulos dies venit
 rex discumbētes inuisurus, omnes alloquitur, &c. In cu-
 ius etiam liturgia passim obseruare est, & sacerdotem &
 diaconum capitibus in terram inclinatis tremenda hæc
 & horrenda sacra cum reuerentia & pietate adorare, & *Clerus &*
 populum, vt idem faciat, hoc est, eadem inclinatis humi *populus a-*
 ceruicibus adoret, admonere. Sacerdos, inquit, sequitur *adorabant.*
 diaconum, & vadit ad oblationem. Et capitibus in terrā
 ter inclinatis, sumunt, hic quidem corpus, ille sanguinē.
 Et paulò post, Diaconus exclamat, Capita vestra Deo in-
 clinate. Sacerdos orat, cælitus respice Domine, ad seruos
 tuos inclinantes tibi sua capita. Non enim inclinarunt
 carni & sanguini, sed tibi metuēdo & humano Deo. Et,
 Attende Domine Iesu Christe Deus noster de sancto
 habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad
 sanctificandum nos, qui in excelsis vnā cum patre sedes,
 & hîc nobiscum inuisibiliter ades, &c. Vt hic sui similis
 longè abest, vt Christi in cœna præsentiam eum eiusdem
 in cœlo præsentia collidat, quod & legere est in superio-
 ribus homiliis, Quotquot hîc communicamus, cogite-
 mus quòd illius corpus est & sanguis, qui supra cœlos
 residet, quique immortalis Dei potentia proximè confi-
 stit. Quòd illum sursum sedentem, & incorruptibili vi-
 cinum virtuti degustamus atque delibamus. Et in qua-
 dam oratione de diuitiis & paupertate, cum aliis aliquot
 excusa, Et erat, inquit, duplex in Helisæo Helias, supra
 & infra, Novi quòd beatum iudicetis iustum illum, ve-
 litque vestrū vnusquisque ipse esse. Quid si vobis de-
 monstrabo aliud quiddam multò maius illo nos omnes
 accepisse? Nam Helias quidem vestem ouillam dimisit
 discipulo, Filius verò hominis ascendens, suam ipsius
 carnem nobis reliquit (in sacris vtique mysteriis) vt hîc
 locum alibi suppleuit & exposuit, homilia cum aliis ali-
 bi in hanc rem nobis allegata, Quidni ergo pater hic &
 sentiret & testis esset Christum qua hominem (de hoc
 enim præsentia modo lis est) consecratione præsentem,
 à clero populòque fidei solitum adorari, cum & ante
 consecrationem, eundem absentem, sed mox adfuturū,

*Christus si-
 mul in cœ-
 lo, & in cœ-
 na.*

*4 Reg 2.
 Christus
 Helias du-
 plex in cœ-
 lo, & in
 terra.
 Homil. 2.
 ad Antioc.*

adorari & à catechumenis solitum idem in eadem liturgia testetur? Diaconus, Precamini Catechumeni Dominum. Populus, Domine miserere. Sacerdos, Domine Deus noster, respice super seruos tuos Catechumenos, quique tibi suas ceruices inclinarunt, ac dignos eos facito in tempore opportuno lotionem renascētiæ, &c. Et à sacris enim non tantum percipiendis, sed vel tantum intuendis submoueri solitos extra delubrum Catechumenos, testis est ubi antea, & alibi, sed in eodem opere Dionysius, ut & Energumēnos & arreptitios. Et hos tamen adorare solitos, imò propemodum, ut ita dicam, coactos testificatur sic Chrysostomus, Agitatos quoque ob eam rem Diaconus tempore illo adducit, & iuber caput inclinare, cum eos unà cum fratribus orare non liceat, adducit eos, ut tu miseratus, & quia tam acerbe vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum vtaris defensionem & auxilium. Cuius tum arreptitiorum adorationis, tum fidelium pro eis inter hæc sacra orationis rationem reddit hanc, quod breui Christum velut pro tribunali sedere, & ipsis in sacramentis apparere futurum esset. Et hinc habemus, opinor, non leue nec ambiguum testimonium, eius, de qua hodie tantoperè contenditur, adorationis extra usum, hoc est, etiam à non communicantibus, tum Catechumenis & Energumenis, communicare prohibitis, tum etiam fidelibus, qui quotidie communicare iam olim tum desierant, de qua desuetudine homiliis primo loco allegatis, sic quiritabatur, O consuetudinem, paschæ scilicet tantum tempore huc accedendi, imò desuetudinem. Frustrà quotidie offerimus, & nequicquam aris assistimus, nullus est qui cōmunicet. Et quæritur in posteriore loco citatis homiliis, Se, hoc est, seruum, imò conseruū concionantem ab ingenti & penè inaudita populi multitudine circumfundi, & cū attētiōne ad finē vsq; dicēdi patientissimè audiri: Cū autē cōmunicis ipse magister & dominus Christus, semet ī sacris mysteriis ostensurus est, vacuam atq; desertā reddi Ecclesiā. Vt hic quoque longè abest ab eorum sententia, qui non aliam Christi in Sacramento quàm in verbo recognoscunt præsentiam. Et hinc etiam vides, laicis, ut vocant,

Catechumeni adorabant, ut habet hoc loco Basilij quoque Liturgia. Cap. 7. par. 3. Energumēni adorabant. Homil. 3. & 4. contra Anomocos.

Adoratio extra usum & à non communicantibus.

Christi in cœna quòd in verbo maior præsentia. Laicis non

communicare cessantibus, clerum tamen offerre, & quocumque offerre non desisse. Vt ad hanc ergo tum Christi in sacris mysteriis, quam in sermonibus maiorem, & ut ita loquar, presentiore presentiam, & proinde adorationem redeam: Idem alibi de utraque sic concionatur, Hoc corpus in praesepe reueriti sunt (adorauerunt) magi, & viri barbari longè itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur ergo barbaros, nos caelorum ciues. Illi cum praesepe tantum & tuguriū, nec eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, viderent, summa cum reuerentia & honore accesserunt: Tu verò id non in praesepe, sed in altari: non mulierem quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem presentem, & spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio vides. Nec simplex, aut simpliciter, ut illi, corpus intueris, sed & eius potentiam, & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras: & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur, horrescamus, & maiorem quam barbari illi, præ nobis feramus pietatem, ut non simpliciter nec frigide accedentes, igni vehementiori accedamus. Quod dico, non ut non accedamus, sed ne temerè accedamus. Et in oratione de B. Philogonio, Rogo, ait, vos omnes, ut summo studio & alacritate velitis adesse, ut videamus D. N. in cuius iacentem ac fasciis inuolutum, horrendum sanè stupendumque spectaculum. Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si, cum ipse nostra causa è caelis descenderit, nos ad eum vel ex ædibus ire grauemur: cum alienigenæ barbarique accurrant, ut eum videant in praesepe iacentem? Tu verò ne breue quidem spatium emetiri sustines, ut hoc foelici spectaculo perfruaris. Nam si eum fide accesserimus, proculdubiò videbimus eum in praesepe iacentem: Hæc siquidem mensa vicem explet praesepe. Nam & hinc ponitur corpus Dominicum, non quidem fasciis, sicut tunc, sed vndiquaque Spiritu sancto conuertitum. Qui mysteriis initia sunt, intelligunt quæ dicuntur. Ac magi quidem nihil aliud quam adorarunt: tibi verò, si cum pura accesseris conscientia, permittimus ut sumas, & sumpto, domum abeas. Quibus haud absimi-

*communi-
cātibus, cle-
rus tamen
offerebat.*

Homil. 24.

in I. Corin.

Matt. 2.

Magi Chri-

stū ad præ-

sepe, Chri-

stiani ad al-

tare adorā-

tes.

Mensa Do-

mini Chri-

sti præsepe.

1

lia leguntur apud Theodoretum Cyrensen, Chryso-
*De prou-*mo vel æqualem, vel non multò certè posteriorem. Na-
*dentia Ser-*tus, ait, Christus in præsepe, brutorum animalium men-
*monne 10.*sam, ponitur, simul hominum brutam & ratione caren-
*Luc. 2.*tem naturam accusans, & suum erga homines amorem
manifestans, quòd cum nutritor ipse Deus sit, secundum
humanitatem, hominum cibus fit, qui magna & brutali
ignorantia laborabant. Nunc verò, cum brutorum igno-
rantiam humana natura abiecerit, & rationis usum rece-
perit, mystica hunc mensa excipit, præsepi illius typus
*Psal. 48.*facta, & homines erudiens: quòd cum homo in honore
esset, non intellexit, comparatus est iumentis irrationa-
bilibus, & similis factus est eis: præsepe diuinum & spi-
ritualem illum cibum suscepit: postquam verò in seipsum
transiit natura, & imaginem diuinam circumiacere ma-
nifestè cognouit, tunc postea super rationalem mensam
cibus ille transiit. Sic utroque prior sancta Synodus Ni-
cena I. proponit Christum in diuina & sancta mensa
κεῖται, situm seu iacentem, agnum illum tollentem pec-
catum mundi, eiusque preciosum corpus & sanguinem
fide contemplandum, & verè (*ἀληθῶς*) sumendum. Sic igitur
Chrysoctomus, Christi super mensa dominica præ-
sentiam cum eiusdem in præsepi quondam presentia
confert & commendat, ut non minus velit nos nunc ad
altare, quàm olim Magos ad præsepe dominum Iesum
*Matth. 2.*adorare. De quibus legitur, quòd puerum cum Maria e-
ius matro inuentum, procidentibus adorarunt, non minus
eum nos inter sacerdotis manus, quàm inter virginis o-
lim vlnas, presentem adorare. Adeoque Chrysoctomus
concionari non dubitat nos ex altari sumpto Domino,
quàm Magos ex præsepi viso Domino, plus hinc sumere,
& nobiscum hinc auferre: non ita profecto concionatu-
rus, nisi, quòd & nusquam non alias inculcat, aliam in
mysteriis nostris, quàm merè spiritualem aut sola fide
Presentia tum presentiam, tum adorationem agnouisset. Annon
alia quàm enim clarè distinguit inter Magos & nos? Magi, ait, ni-
*sola fide,*hil aliud quàm adorarunt, tibi licet sumas, & sumpto do-
aut tantum mum redeas. Scimus alioqui pios omnes & Christi fide-
*spiritualis.*les & Deum, & quæ Dei sunt, corpore suo, nedum ani-

I. Cor. 6.

mo portare, ac secum veluti circumferre. Ad eundem Christi in mysteriis adorandi ritum hortatur idem Euan *Matt. 2.*
 gelicam literam enarrans. Quod quoniam paulò est pro *Homil. 9.*
 lixius, sic verba contraham, vt sensui nihil vel addam,
 vel imminuam. Imitemur, ait, Magorum deuotionem,
 & vt Christum cum eis videre mereamur, accurramus ad
 domum pueri, vt quem priusquam illi cerneret, vndique
 timores & pericula: at vbi adorauerunt, securitas atque
 tranquillitas: nec iam eos stella suscepit, sed Angelus, a-
 dorando sacerdotes factos, muneribus etiam cum sup-
 plicatione oblati. Et tu si Magus fortè sis, nihil te ad
 hunc regem introire prohibebit, adoraturus modò &
 honoraturus Dei filium venias, & honorem cum gaudio
 & tremore hunc offeras: sed caue ne Herodi efficiaris si- *Herodiani*
 milis, & dicas, vt ego veniens adorem eum, cumque vene- *qui non a-*
 ris, interimere coneris. Huius enim similes sunt, qui indi- *dorant.*
 gnè abutuntur communionem mysterij. Reus, inquam, hic *1. Cor. II.*
 est corporis & sanguinis Domini. Tales habent in se ty- *Mammona*
 rannum Herode peiorem, nimirum Mammonam, qui *Herode pe-*
 cultores suos mittit ad Christum, vt specie quidem ado- *ior.*
 rare videantur: eum verò quantū in ipsis est, interimunt,
 quem adorare ipsi simulant. Timeamus ergo ne quando
 supplicum speciem geramus & adorantium, opere verò
 exultamus inimici. Eum igitur adoraturi, aurum ipsi offe-
 ramus, panem pauperibus &c. Mox inuehitur in scemi-
 nas ita molles, vt nisi mulis aduectæ, spatio quanlibet exi-
 guo à domibus veniant ad Dominum in spiritali præ-
 sepio videndum. Barbari, ait, illi priusquam Christum vi-
 derent, iter adeò longum confecerunt: tu verò ne viden-
 do quidē, aut vbi videris, eos imitaris, sed ita eum relin-
 quis, vt post illum ad mimum accurras. Eum inquam, in *Theatra*
 spiritali situm præsepio derelinquis, properas verò spe- *post sacra.*
 ctare iacentem in scena meretricem. Quibus hoc tãdem
 est dignum suppliciis? Si quis se polliceretur te introdu-
 cere ad Regem, eumque tibi ostendere in ornatu Regio
 sedentem, tunc aulicæ maiestati theatrale spectaculum
 præponeres, cum nihil hinc etiam commodi tibi quære-
 retur? At verò ex hac mensa spiritalium bonorum fons
 emanat, & hanc tu statim relinquēs, curris ad theatrum?

*Sanguis vi-
uus e mensa
Domini.* Et vinum enim sanguinem de hoc nobis fonte largitur Dominus, qui quanquam ad mortis Dominicæ testimonium sumitur, vitæ tamen causa nobis efficitur. Tu verò sanctificationis poculum hausurus, huius relinquis fontem sanguinis, & ad diabolicum illum locū festinas! &c. Annon & hîc Christi tam vt olim in præsepi, sic nunc in Eucharistia præsentiam, quàm eiusdem nobis hîc, Magorum illic exemplo adorationem vrget & commendat? Et ex Chrysostomi ergo publicis tum homiliis, tum eius, vt & Dionysij Basiliique liturgiis, & Germani Archiepiscopi itidem Constantinopolitani rerum Ecclesiasticarum theoria, constat sacerdotem post verborum super signa prolationem, ea ostentare solitum, vtique vt signata, In quæ signa consecratione transferant, adorarentur, prius ab ipso & diacono, ter aut etiam sæpius adorata. Nam de introductione sacrorum donorum ad altare, si qui eorum qui sacerdote cum donis ingrediente humi procumberent, dona quæ deferebantur, tanquam Christi corpus & sanguinem alloquerentur & adorarent, ab ingressu præsanctificatorum (hoc est, aliis antè diebus consecratorum) donorum, deceptos exponit Nicolaüs Cabasilas. vt huius & illius sacrificij differentiam ignorant. Hoc enim in ipso ingressu non sacrificata & nondum perfecta habet dona, illud autè perfecta atque sanctificata, Christi corpus & sanguinem. *Quorum* sacerdos factus particeps, ad populum conuertitur, & ostensis sanctis, vocat eos qui participare voluerint, iubet accedere cum Dei timore atque fide, neque dubitantes, quòd sit supra rationem id quod creditur, sed eorum dignitatem agnoscetes, & quòd æternæ vitæ causa sunt iis qui eorum sunt participes, credentes accedere. Ipsi verò pietatem ostendentes atque fidem, & adorant & benedicunt, & Iesum, qui in eis intelligitur, vt Deum celebrant: Et vt splendida sit glorificatio, ex propheticis eam verbis faciunt, Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & apparuit nobis. Vbi Propheta e minus benedicit venientem in nomine Domini, & Dominum patrem dicens, & eum qui apparuit, eundem Deum esse dicit. Iisdem ipsi quoque verbis vtentes, tanquam nunc venien-

*Signa consecratione
transcunt
in signata.*

*Præsanctificata.
Cap. 24.*

Cap. 39.

Psal. 117.

tem & apparentem Christum benedicunt. En eundem propè cantum inter myſteria Græcis & Latinis.

Testimonium Doctorum Latinorum.

CAP. III.



T ad hos igitur etiam veniamus. Ad eum Davidis versiculum, Edent pauperes, & saturabuntur. Hieronymus, Pauperes, ait, Apostoli edent corpus Christi. Laudabunt Dominum, qui requirunt eum, per fidem & opera cognoscentes, quia ipse est panis viuus qui de cælo descendit. Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites, aliàs pingues, terræ, id est Apostoli vel cæteri sancti, manducauerunt corpus Christi, vt superius dixit, diuites, hoc est in fide, & opere & virtutibus: cognoscentes quia suavis est Dominus. Secutus fortè Arnobij sui scholion hîc de Christi corporis esu breuiter enarrantis. Et vtrunque ibidem fortè secutus etiam Augustinus, Vota mea, sacramenta corporis & sanguinis mei, reddam coram timentibus eum. Edent pauperes, humiles & contemptores seculi, & saturabuntur, imitabuntur. Vivent corda eorum in seculum, Nam cibus ille cordis est. Manducauerunt corpus humilitatis domini sui, etiam diuites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, sed tamen adorauerunt. Et secunda in eundem locum expositione, Comedent pauperes. Inde erant piscatores illi Petrus, Ioannes, Iacobus, erat etiam publicanus Matthæus de pauperibus, qui comederunt, & saturati sunt, talia passi, qualia manducauerunt. Cœnam suam dedit, passionem suam dedit. Vota mea Domino reddam, sacrificium pacis, sacrificium charitatis, sacrificium corporis sui. Norunt fideles. Et quæ est tertia eiusdem loci enarratio, ad Honoratum de gratia noui Testamenti: *Epist. 120.* Vota, inquit, sua Dominus, sacrificium vult intelligi corporis sui, quod est fidelium sacramentum. Ideò cõtinuò *Cap. 24.* subiunxit, Edent pauperes, & saturabuntur. Hi enim saturabuntur pane qui de cælo descendit, qui & cohærentes, & eius pacem dilectionemque seruantes, imitantur *Cap. 27.*

eius humilitatem. Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Superbos hoc loco diuites intelligere debemus, si rectè superius pauperes humiles intelligebamus. Nec frustra hîc ita distincti sunt, vt pauperes quidem edant, & saturentur: diuites verò manducant & adorant. Et hi quippè adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quia non imitantur. Manducantes enim, pauperes esse dedignantur, aspernantur Christum sequi, & similia perpeti respuunt, timore, non magnitudine, infirmitate ergo, non sanitate. Sed fama celsitudinis eius excitati à mortuis, & gloria nominis eius in Ecclesia vsquequaque diffusa, permoti, & ipsi ad mensam veniunt, manducant & adorant, non tamen saturantur, quia non esuriunt & sitiunt iustitiam. Tales enim saturabuntur in vita æterna, &c. Hactenus Augustinus, clarissimè ex Dauidicæ literæ spiritu sentiens, vt aliàs sepe, non bonos tantùm, sed etiam malos quoque Christi corpus in Eucharistia tum adorare, tum manducare. Vt & antè concionabatur, hos quidem in mysteriis, Herodis, illos verò Magorù instar adorare. Dixerit igitur aliquis hoc in loco, Manducauerunt & adorauerunt, hysteron proteron. *Hysteron proteron.* figuram scripturis alibi non infrequètem, pro eo quod dicas, Adorauerunt & manducauerunt, iuxta illud paulò antè Chrysostomi, Accumbe, procumbe, adora, & manduca, & quod sequitur ex Augustino, adeò clarum, vt Episcopus ille meus ad tantam veluti lucem obstupescens, nec quod contradiceret, habès, eum quidem locum agnosceret, sed vnicum omni retrò scriptorum sacrorum memoria esse assereret. Et vt, iuxta prouerbium, Vnus vir, nullus vir, ita testis vnus, testis nullus. Is ergo ad alium Dauidis versiculum, Adorare scabellum pedum eius, quoniam sanctum. Quod dicunt Græci ὑποπόδιον, Latini scabellum dixerunt, alij suppedaneum. Sed videte, ait, fratres, quid nos iubeat adorare. Alibi scriptura dicit, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram nos hîc iubet adorare? & quo eam modo nos adorabimus, cum alibi dicat apertè, Dominum Deum tuum adorabis? Anceps factus sum. Timeo ado-

*Adorant
& mandu-
cant etiam
mali.*

*Hysteron
proteron.*

Psal. 98.

Esa. 66.

Deut. 6.

rare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. *Eodē modo*
 Rursum timeo non adorare scabellū Domini mei, quia *locum hunc*
 Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum eius: que- *tractavit*
 ro quid sit id scabellum, & dicit mihi Scriptura, Terra. *Chryso-
 Fluctuans, me ad Christum conuerto, quia ipsum quæro mus ad finē*
 hīc, & inuenio quomodò sine impietate adoretur terra, *serm. de Tri-
 scabellum pedum eius. Suscepit de terra terram, quia ca- nitate.*
 ro terra est: de carne Mariæ carnem accepit. In qua quia
 hīc ambulauit, eamque nobis manducandam ad salutem
 dedit: nemo autem illam manducat, nisi prius adoraue-
 rit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabel-
 lum pedum Domini, & non solum non peccemus ado-
 rando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem ca-
 ro uiuificat? Ipse cū de terræ huius commēdatione lo-
 queretur, dixit, Spiritus uiuificat, caro nihil prodest. Ideò *Ioan. 6.*
 & ad terram cū te inclinas & prosterneis, non quasi ter-
 ram intuearis, sed sanctum, cuius pedum scabellum est,
 quod adoras, propter ipsum enim adoras. Ideò & hīc
 subiecit, quia sanctum est: Quis sanctus est? is in cuius
 amore adoras scabellū eius. Et cū adoras illū, ne cogi-
 tatione remaneas in carne, & à spiritu nō uiuificeris, Spi-
 ritus enim uiuificat, caro nihil prodest. Tūc autē cū hoc
 Dominus cōmendauit, de carne sua locutus erat, & dixe-
 rat, Nisi quis manducauerit carnem meā, non habebit in
 se vitam æternā. Hucusque Augustinus, nec id semel, nec
 id solus, sed ut alia nonnulla propemodum ad verbū ab
 Ambrosio Catechista suo mutuatus. De hoc certē psalmi
 versiculo idem utriusque sensus, idem utriusque visum est. *De Spiri-
 tu sancto,
 lib. 3. c. 12.*
 Considerate, ait hic, qua ratione ad incarnationis Domi-
 nicæ sacramētum spectare videatur propositum prophe-
 tæ exemplum, Non enim ex hominum usu æstimandum
 hīc scabellum, non est corporalis Deus, aut non immen-
 sus, ut tanquam fulcrum pedibus eius scabellum subie-
 ctum putemus. Nec adorādum quicquam præter Deum
 legimus, quia scriptum est D. D. T. Adorabis, & ipsi soli *Deut. 6.*
 seruias. Quo ergo modo aduersus legem propheta præ-
 ciperet sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non medio-
 cris igitur quæstio, & ideo diligentius consideremus quid
 sit scabellum, legimus enim alibi, Cœlum mihi thronus, *Esai. 66.*

terra scabellum pedum meorum. Sed nec terra nobis adoranda, quia Dei creatura. Videamus tamen ne terram illam David adorandam dicat, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terram intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in MYSTERIIS adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. Hæc Ambrosius. Non solus hic ergo ita sensit Augustinus, etiam in mysteriis dominum, nedum in cœlis adorandum. Cuius sententiam suam fecit Sententiæ Magister, suo eam more abbrevians. Nemo carnem, ait, Domini manducat, nisi prius adoret. Et hoc quoque fragmentum, suum fecit Ecclesiasticorum canonum compilator Gratianus in canone ex variis Augustini de re Eucharistica fragmentis compilato. In qua etiam distinctione citat ex eiusdem sententiis Prosperum ipsius auditorem, sic de hoc ritu & cultu docentem, Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem (Christi indubiè) honoramus: nec similiter has duas species, quemadmodum ante consecrationem, comprehendimus: cum fideliter fateamur ante hanc panem esse & vinum, quod natura formavit: post verò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Mutuò sumptum ex libro de Catechizandis rudibus, ubi ait, signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari: nec sic habendum illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet. Quem locum Berengario multò post citanti Lanfrancus respondens, ut ait se planè non videre quid eius parti prodesset, imò magis eius oppugnare sententiam, & nostræ videri ferre subsidium, sic B. Augustinum eò loci non magis de hoc sacramento, quàm de cæteris consuetudine Christiana solenniter exerceri iussis & solitis locutum agnouit, eo enim libro instrui quendam Carthaginis diaconum, qualiter eum rudes super iis oporteret instruere, & paulò aliter renarrat superiorem canonem Augustini titulo, non Prosperi, sed non admodum refert. Propius rem nostram eodem seculo Algerus monachus Benedictinus, eorum qui Berè-

Lib. 3. Dist. 10.

De consec. dist. 2. cap. Accesserunt. Cap. Nos autem.

Cap. 26.

garium oppugnauerunt, longè doctissimus, Non esset, *Lib. 1. ca. 3.*
 inquit, misericordiae Dei & iustitiae condignum, si eos
 repelleret à regni sui consortio, quibus tam familiariter
 vniri dignatur in mundi exilio, eisque honoris vicissitu-
 dinem non rependeret in manifesta visione suae maie-
 statis, à quibus dignè susceptus & adoratus est in occul-
 tis & peregrinis sacramentorum suorum figuris. Addit
 superioribus Emiseni, Augustini, Prosperi testimoniis &
 hoc, Hanc filij Dei verè adorandam carnem B. Basilius *Cap. 7. 10.*
 admirans, ait in Dialogo suo de Dignitate Sacerdotali: *12.*
 O miraculum! &c. Locus quidem hic est apud Chryso-
 stomum de Sacerdotio, Sed Basilius mysticam hanc, ve-
 ram Dei vocat adorationem, ser. 1. de Ieiunio. Et, *Quia Cap. 14.*
 ergo spirituale Christi corpus & sanguinem in sacramen-
 to panis & vini verè & substantialiter esse, ipsius Christi
 & tot sanctorum testimoniis euidenter attructum est,
 quod de veritate constat, de eius etiam potestate videa-
 mus, *Quamuis enim omne corpus, omnisque creatura*
localis sit, de hoc tamen supersubstantiali corpore cre-
dendum est, quòd eodem tempore verè est in sacramen-
to suo in terris, & verè in caelo sedet ad dexteram patris.
 Frustrà enim immolationis suae tempore diceremus,
Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis, si quem
 ADORAMVS IN SACRAMENTO, mentiremur *Lib. 2. c. 1.*
 esse in caelo. Quapropter summa vt sumi reuerentia, sic
 etiam seruari debet diligentia: quia res tantae dignitatis
 & salutis, subiaceret vel negligentiae vel obliuioni non
 debet, sed quod magna Deo agitur gratia, decet & oportet
 vt magna Ecclesiae sollicitudine deuotè & indefinenter
 super omnia honoretur. Et paulò post, probans hoc
 sacrificium non solo constare sacramento, sed & Domi- *Cap. 3.*
 ni corpore ac sanguine, alioqui veteribus non præpolle- *Sacramenta*
 re, nec superordinandum quidem fuisse. In nouo, ait, sa- *noua vete-*
 cramento ablata fide gratiae interioris, exterior species in *ribus præ-*
 panis mica, vel vini gutta nullius est estimationis, quia & *pollent.*
 in eo ideò nullius aestimationis exteriora facta sunt, vt ei
 quae interius creditur gratiae, omnis impenderetur sum-
 ma deuotionis. Cassa enim videretur tot hominum assi-
 stentium, & huic sacramento ministrantium vel adoran-

rium veneranda sedulitas, nisi ipse sacramenti longè
 maior crederetur quàm videretur veritas & utilitas. Cum
 exterius quasi nulla sint, quibus tanta impenduntur ve-
 nerationis obsequia, aut insensati sumus, aut ad intima
 mittimur magnæ sacris mysteria. Et ad finem eiusdem
 capitis, Quia in hac peregrinatione nostra expedit latere
 Christum, ut credatur: creditus desideretur, ut desidera-
 tus habeatur, quæ verba Augustini sunt, ad id Domini,
 Vado vobis parare locum, bene Christus sub sacramen-
 to dedit nobis seipsum, ut per hoc nobis & fidei meri-
 tum, & gratiæ suæ augeat beneficium: dum in terrena
 quadam, & profus stolidi panis forma maiestatem sa-
 pientiæ verbj Dei substantialiter comprehensam, incom-
 prehensibilem credere & venerari non erubescimus: quæ
 quâritate & qualitate sua ita excellentiæ eius videtur in-
 digna, ut nullatenis etiam æstimari debeat, nisi quia ipse
 est Deus, quia omnia quæcunq; voluit, fecit in cælo & in
 terra, nisi etiam quia caro eius ipsa est, cui data est omnis
 potestas in cælo & in terra: ut potestate tali sit in unitate
 personæ in cælo & in terra, quâdocunq;, quomodocunq;
 sibi placuerit. Hac fide ipsum Sacramentum, quasi divinum
 quiddam ADORAMUS: quasi vinum quiddam & ratio-
 nabile alloquimur & rogamus, Agnus Dei, qui tollis pec-
 cata mundi, miserere nobis: quia non quod videtur, sed
 quod verè est, Christum ibi esse credimus. Eadem porò
 Chrysostomi verba sunt, si quis Algerum, quasi recentio-
 rem fastidit. Inter sacra, inquit ille, mysteria, pro defun-
 ctis Agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem
 deprecantes &c. Et an non etiam Ambrosius alloquitur,
 adorat, inuocat, sic se precabundus ad missam preparans?
 Panis dulcissime, cædi diffime, sancte, viue, pulcher, mun-
 de, sana palatum cordis mei, sana me ab omni languore.
 Veni in cor meum, munda me ab omni inquinamento
 carnis & spiritus, intra in animam meam, sanctifica me
 interius & exterius. Esto tutamen & perpetua salus cor-
 poris & animæ, &c. Hostes recedant procul à præsentia
 tua, ut foris & intus per te munitus, recto tramite perue-
 niam ad regnum tuum, &c. Imò utroq; prioris Nicenæ. I.
 Synodi verba sunt antea allegata, nec vnquam nimium
 repetenda.

*Joan. 14.
 Tract. 68.*

Psal. 113.

134.

Matt. 28.

*Agnus Dei
 carnis Chri-
 stum ado-
 rans, & o-
 rans.*

*Homil. 41.
 in 1. Corin.*

repetenda. Consideremus situm aut iacentem esse in diuina illa & sacra mensa, Agnum Dei, &c. Neque procul ab Algero Petrus cognomento venerabilis abbas Cluniacensis, contra Petrobrussianos & Heinricianos, hæreticos Berengarianis, vt de his suo post loco nequiores. De his ergo nouarum suo seculo impietatum magistris sic non procul à fine quanti eorum erroris. Verum quidem (aiunt) corpus & sanguinem redemptoris sub panis ac vini specie in altaris sacramento dari fidelibus licet, sed cur ad manducandum vel bibendum detur (si liceat quærere) quærimus. Nam si ad honorandum, si ad adorandum tantummodo daretur: quæstio non esset. Sed quia etiam ad manducandum datur, nos non potest non, vt illos quondam monere. Et paulò post, Sed adhuc vrages, & dicis. Etsi data est caro Christi hominibus immortaliter & inuiolabiliter ad honorandum & adorandum: quare ad comedendum? Quòd enim honorari, quòd adorari debeat, fidelibus omnibus certum est: quòd autem comedi, quia comestionis ratio non videtur, admirabile profectò, & super omnia stupendum est. Respondet venerabilis, Dat planè carnem suam, dat sanguinem suum, non solum ad honorandum, non solum ad adorandum, sed etiam ad manducandum & bibendum Christus hominibus. Et in epilogo totius de hoc sacramento tunc quæstionis, Claret igitur ratio, cur non tantum ad honorandum, non tantum ad adorandum, sed insuper ad manducandum carnem suam, & bibendum sanguinem suum, dedit &c. De quo infra contra eos latissimè. Hic sufficit eosdem super esu atque potu alioqui errantes: de cultu tamen vt omnibus Christi fidelibus certissimo & receptissimo conf. visisse ex Venerabili. Cuius non æqualis tantum, sed & amicissimus B. Bernardus, ad hunc cultum nos ita hortatur, Quid facis, homo indigne, ac ingratus? A D O R A deuotius, & recole frequentius in sacramento altaris mundi salutem pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. Horum autem, vt sic loquar, Antiberengarianorum, id est, scriptorum suo seculo catholicorum, hac de re loca hoc magis sunt obseruanda, ceu cultus eius etiam usum in Ecclesia sui

Petrobrussiani.

Heinriciani.

De his lib. 3. cap. 20.

Lib. 1. epist. 1. cap. 4.

Adoratio corporis Domini omnibus fidelibus certa.

Serm. 2. de cena Domini.

*Missæ pri-
uata per-
netus.*

Lib. 3.

temporis, indubitata testimonia, quòd iam tum Missa, quam priuatam vocant, siue cleri oblatio, cessantibus licet communicare laicis, imò etiam præter vnum sacerdotem, clericis, recepta esset, imò, vt ex Chrysofomi antè querimonia constat, peruetus. Vt eius testis Guitmundus Auerfanus Archiepiscopus, eorum qui Berengario se opposuerunt, non infimus, Huc accedit, inquit, quòd sacerdos plerunque indignissimus Missam celebrat, solusque id quod consecratum est, totum sumit &c. Hoc autem postremum D. Bernardi fragmentum citabat hoc incunte seculo non postremus scholasticus, veterum certè collector diligentissimus Gabriel Bielus. Hoc igitur loco sequebatur Scholasticorū, siue Sententiariorū eadē de re continuatio, sed erit eis suus postea locus.

Angelos nobiscum sacris interesse & coadorare.

CAP. IIII.



*Homi. I. de
verbis Esu.*

Homil. 21.

Act.

*Hostia in
manibus.*

T quidni Christi corpus & sanguinem in iis sacris homines adorarent, cum & in iis adorent Angeli? Rumpantur licet illa cordis modernis: Sic de hac angelica tum hinc præsentia, tum horum sacrorum adoratione sermocinabatur Chrysofomus in eos qui mores hinc præse ferunt à spirituali itatione alienos. Miser & infelix, oportebat te cum tremore ac reuerentia Angelicam glorificationem resonare, cumque terrore confessionem reddere creatori. Tu verò mimorum mores huc inducis, indecèter manus iactans, pedibus subsaltans. Et quid non metuas, nec horrescas hæc audere? Non cogitas ipsum hinc iuuuibiliter adesse dominum, qui vniuscuiusque motum metitur, & conscientia rationem habet? Non cogitas quòd Angeli huic stupendæ assistant mensæ, cumque reuerentia hanc circumuallant? Quomodo audes angelorum Deum glorificantium hymnis admiscere ludicra? Et, Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita bene sunt ordinata, adsunt angeli, adsunt archangeli, adest filius Dei, cum tanto horrore astant omnes, astant illi clamantes omnibus silentibus, & putas simpliciter hæc

fieri? Hoc, inquam, horrendum Domino præfente sacrificium, &c. Et ad eos qui sanctorum communionem & congregationem relinquunt, & sub horâ terribilis mensæ in vaniloquentiæ conuenticulis occupati sunt, Quid facis homo? Non promisisti sacerdoti qui dixit, *Suisum corda, & dixisti, Habemus ad Dominum? Et illa ipsa hora mendax inueniris? Papæ! mēsa mysteriis instructa est, Agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa refluit, Seraphim astant sex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te intercedunt: ignis spiritualis è cælo descendit, sanguis in cratère in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est. Et non erubescis, reuereris, confunderis &c.*

Audisti sacros hymnos, vidisti nuptias spirituales, in regia mensa discubuisti, impletus es Spiritu sancto, simul cum Cherubim in choreis fuisti, socius factus es supernis potestatibus. Nec enim constraia aut vnguentaria taberna est Ecclesia, aut officina forensis: sed locus Angelorum & Archangelorum, Regia Dei, cælum ipsum. Num & hîc cælum dubitas? Mensam hanc vide, cuius gratia constituta sit, & quapropter: Cogita quis hîc sit progressurus, ante progressum horrebis. Nã & regis modò thronum videns, animo confurgit quisquis eius egressum expectat: & tu ergo ante illud horrendum tempus animo tremisce & commoueare, priusquã vela reducta, & Angelorum chorum progressum vides, in ipsum vltro cælum ascende. Cogita nunc quanta illi veteris sacrificij participes futuri, vitæ frugalitate ac continentia vtebantur: quid non faciebant? Omni tempore purificabantur, ac semper expiabantur. Et tu ad sacrificium, quod horrent & Angeli, tu ad salutarem hanc hostiam, quam ipsi Angeli cum tremore suspiciunt, accessurus, tantam rem temporum circulis circumscribis & ambitu? Considera quæso, & animum hunc aduerte, mensa Regalis apposta est: mensæ isti ministrant Angeli, ipse Rex adest, tu astitas oscirans? Hic dum profertur sacrificium, aut elata est hostia, Christus, id est, ovis Dominica, immolatur, cum audieris, Oremus, cum vela videris, & bifores adyti valuas subductis repagulis retrahi & aperiri: tunc tecum re-

Ser. de Eucharistia in Encenis.

Suisum corda.

Homil. 27.

in 1. Cor.

Homil. 36.

in 1. Cor.

Homil. 61.

ad Antiochen. 3. ad Ephes.

Ibidem & homil. 45. in Ioan.
Homi. 14. ad Ephes.
 puta cœlum supernè diffindi etiam & aperiri cogita. Hic mysticus sanguis angelos & angelorum Dominum ad nos vocat & allicit. Vbi nanque Dominicum viderint sanguinem in nobis, accurrunt angeli. Cogita, qua dignatum sit mensa os tuum, quæ contingat & degustet, quo cibo fruatur. Perpende cum quibus tempore mysteriorum astes, nempe cum Cherubim, cum Seraphim: neminem hi vituperant, sed vnus & idem vsus illorum adimplet ora, Deum utique benedicendi & glorificandi. Quo ergo modo potes cum illis dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris? Stat Dei sacerdos ad orationem, & tu rides nihil timens? Is tremens, pro te preces offert, tu contemnis? In aulam quidem Regiam intraturus, habitu, oculis, incessu, cunctisque aliis te componis & adornas. Huc autè ingressurus, vbi verè est aula Regia, talisque qualis cœlestis est, rides? Et tu quidem, scio, quia non vides. Audi tamen, quia angeli, cum ubique cum Domino sint presentés, tum maximè in domo Dei regi astant, & omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus. Cum enim sacerdos Spiritum sanctum inuocauerit, & sacrificium illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus pertractato, per id tempus & angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in eius qui immolatur, honorem, angelorum choris plenus est. Id quod abundè licet credere, vel ex tanto illo quod tum peragitur, sacrificio. Equidem commemorantem olim quendam audiui, cum diceret senè quendam virum mirabilem, cui multa fuissent mysteria diuinitus reuelata, sibi narrasse, tali olim sese visione dignum à Deo habitum, per illud tempus repentè angelorum multitudinem conspexisse, quatenus humanus aspectus ferre poterat, fulgèribus vestibus indutorum, altare circundantium, sic denique capite inclinatorum, vt si quis milites presente Rege stantes videat. Quod facillè mihi persuadeo. Tempore illo, mi charissime frater, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed angeli quoque Domino genu flectunt, & archangeli rogant: habent sibi tempus id idoneum, & sacram illam oblationem

Homi. 15. ad Hebr.

Lib. 6. de Sacerdotio. Manibus Do. pertractare.

Visio, seu reuelatio.

Homi. 3. contra Anomozos.

in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes, monere reges consueuerunt, eoque arboris genere misericordiam comemorant & humanitate: sic angeli tunc pro ramis oleaginis Dominicū corpus ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant, Pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es (hunc) sanguinē: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Et in Liturgia, Dum sacerdos dicit orationē, quæ Cherubici dicitur, cantores hæc cantant, *Qui Cherubim mysticè representamus, & viuificantī Trinitati ter sanctum hymnū canimus, & omnem vitæ deponimus sollicitudinem, tanquam regem omnium suscipientes, & angelicis inuisibiliter stipati agminibus, Alleluia.* Et paulò post, interprete Leone Thufco, sic rursus orat sacerdos, Dominator domine Deus noster, qui ordines & exercitus angelorū in cœlis constituisti archangelorūmq; in tuæ gloriæ administrationem, fac cum ingressu nostro sanctorum angelorum accessum fieri, qui nobiscū ministrando, benignitatem tuam glorificent, quorū te decet omnis gloria, &c. Et in S. Iacobi, hoc est, rāto ante Chrysostomianam, Liturgia, Lectores inchoant hymnum Cherubicum, ita, Sileat omnis humana & mortalis caro, stet cū metu ac tremore, nihil apud se terrestre cogitet: Rex enim regnantium, & Dominus dominantium Christus Deus noster ingreditur, vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt angelorū chori, cum omni imperio ac potentia. Cherubim multorum oculorū, ac Seraphim sex alarū, faciēsque velantia, & cum clamore canētia hymnū Alleluia, alleluia, alleluia. Eadē est Latinorū de Angelica in mysteriis tum præsentia, tū adoratione consensus, *Quis enim, ait Gregorius 1. meritò, vt cognomen to magnus, quis inquā, fidelium habere dubiū possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocē cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnū quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri? Qui locus à Lōbar-do in Sentētiis, & è Gratiano in canonibus Ecclesiasticis renarratur. Et ex postremis eiusdē loci verbis hæc quoque legūtur in precatione prima Ambrosij ad Missam præpa-*

Oliua pacis nuncia.

Angeli pro nobis orant in sacris.

Cherubici oratio.

Cherubicus hymnus.

Dialog. 4. cop. 16.

Lib. 4. dist. 11. Et 12. de cons. dist. 2. c. Quid sit.

rante, Vbi caro tua in veritate sumitur, sanguis tuus in
 veritate bibitur, vbi summa imis iunguntur, vbi adest præ-
 sentia sanctorum angelorum, quanta cordis contritione, la-
 crymarum fonte, reuerentia, tremore, corporis castitate,
 animi puritate celebrandum diuinum hoc & caeleste sacrifi-
 cium? Et ex hoc cum aliquot ex superioribus Emisseni,
 Augustini, Basilij, vel Chrysostomi potius testimoniis
 notandum scripsit Algerus, In sacramento verè Dei esse car-
 nem, quæ tantæ dignitatis est, vt eam virtutes angelicæ ho-
 norent ministrando, & homines adorando, & seipsos ho-
 stias offerendo. Citat idè August. in serm. de quarta feria,
 & hoc, Si sanguinem Christi tota cum Reuerentia percipis,
 cognoscès per illum tua dimitti tibi peccata. In hunc sen-
 sum intelligo, quod Damascenus iunior serm. de his qui
 hinc in fide migrarunt, renarravit. Gregorio, vt quidam fe-
 rebant, sacra facienti caelestem angelum socium se addidisse,
 simul sacrificantem, Non ministerio inquam, siue dispensa-
 tione aut consecratione: Sic enim Eucharistiæ minister so-
 lus est sacerdos, sed presentia tantum, consensu, cultu. Nisi
 fortè recipimus, Marco quondam celebri monacho, non à
 Macario presbytero, vt aliis, sed ab angelo descendente,
 Eucharistiã dari solitam, cuius se manum ad eius usque iunctu-
 ram vidisse idè Macarius Palladio, vt & hic in Lausiaca
 historia retulit, affirmabat. Quodq; ab iis quibus S. Chry-
 sostomus secum versantibus credidit, SS. Apostolos Pe-
 trum & Ioannem, morituro ei apparuisse, & caelesti eum ac
 ineffabili esca pautisse: ex quo tempore nihil postea cibi
 sumpserit. Et si qua sunt id genus exempla, admiranda ma-
 gis, quam in dogmatis consequentiã trahenda. At superi-
 ore modo, cultus videhet, & consensus, etiã aliis inter-
 sunt sacris Ecclesiæ mysteriis. Iesus, ait quidam magnus E-
 uangelicorum mysteriorum interpres, Dominus, inquam, no-
 ster non indiget multo tempore, vt Deutero. scribat, vt secun-
 dam legem in cordibus credentium figat, in eorum mentibus
 qui ad altaris constructionem digni sunt eligi, legem spiritus
 signet. Statim namq; vt quis ei crediderit, lex Euangelij in
 eius corde scripta est, & in conspectu filiorum Israël descri-
 pta. Aderat enim tunc cum tibi fidei tradebatur sacramentum,
 caelestes virtutes, ministeria angelorum, Ecclesia primiti-

Lib. 1. c. 12.

Eucharistiæ mini-
 ster homo,
 non angelus.
 Sozomen.
 6. 29.
 Nicephor.
 11. 35.
 Nicephor.
 13. 37.

Orige. hom.
 9. in Iosue
 5. ad ill. scri-
 psit Deute-
 ronomium
 in lapidi-
 bus coram fi-
 liis Israël.

uorum. Nā si rectè intelligimus Israëlē dici mentē Deū *Israël.*
 videntē, rectissimè hoc de ministris angelis potius dici *Padoba-*
 tur, secundū Domini sententiā dicentis de infantibus, *ptismus.*
 & tu fuisti infans in baptismo, quia angeli eorū semper *Matth. 18.*
 vidēt faciē Patris mei, qui in cœlis est. Corā his igitur fi-
 liis Israël, qui aderāt eo in tempore, cum tibi fidei trade-
 bātur sacramenta, vidētibus faciē Dei, Iesus in corde tuo
 Deuteronomiū scripsit. Quod adhuc euidētius ex scri-
 pturis sacris probare est, Accessistis, ait Apostolus id ma- *Hebr. 12.*
 nifestè designās, ad montē Sion, & ciuitatē Dei viuentis
 Hierusalē, Ecclesiā primitiuorū in cœlis ascriptā, multi-
 tudinē angelorū Deum collaudantiū. Vides ergo quod
 corā iis omnibus, qui ex eo quod semper Deū vidēt, me-
 ritō filij Israël appellātur, Iesus legē suā in cordibus ere-
 dentiū scribit, Hæc Origenes. In quē etiam intellectum
 enarrauerūt quidā Dauidis versiculū, In cōspectu ange- *Psal. 137.*
 lorum psallā tibi Domine, & Pauli de muliere præceptū, *1. Cor. 11.*
 quod velamē supra caput suū habere debeat, cū propter
 alia, tū propter angelos, Græci propemodū omnes. Lati-
 ni etiā quidā, Vt si mulieres domi viros minus reueren-
 tur, at in Ecclesia reuerentur vel angelos, & quidē cœle-
 stes, qui conuentum fideiū creduntur inuisere, præcipuè *Hieron.*
 quādo sacra mysteria celebrātur, & in omnibus Ecclesiæ *Staul.*
 sacramētis esse præsentēs. Eò certè loci tractat Apostolus *Anselm.*
 de oratione ac prophetia, præsertim publica. Ne qui Ec- *Bruno.*
 clesię eiūsq; cœtibus assistere perhibētur angeli, offendā- *Thom.*
 tur lasciuia muliebri, vt quibus ea capitis displiceat nu- *Lucan.*
 datio, siquidē viderint per eam peccati fomité excitari;
 grata cōtrā sit, & sacra, & pia illa subiectionis & obedi-
 etiæ fœmineæ significatio. Quem etiam sensum de con-
 uentibus Ecclesiasticis secutus est non tantū paraphra-
 stes, sed & ex aduersariis moderni plerique.

Eucharistia demonibus formidabilis. Cap. V.

Nec bonis modò Angelis venerabilis est Eucharis- *Homil. 61.*
 tia, sed malis quoque formidabilis, Hic mysticus *ad Antioch.*
 sanguis (cōcionabatur S. Chrysostomus) demones expel-
 lit & procul esse facit, vbi nāq; eum in nobis viderint, in *45. in*
 fugā vertuntur & fugiunt: Ab hac ergo mensa tanquam *Ioan.*

- leones ignem spirantes, surgamus, & abeamus, facti diabolo terribiles & formidolosi. Cui consonat Ambrosius, *In psal. 118. ser. 8. ver. 6* ad corporis Domini esum sic exhortans, Cum hospitium tuum aduersarius viderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, intelligit locum tentamenti suis per Christum esse interclusum, fugiet, recedet, & tu noctem
- Nicep. 16. 36.* Anastasio Imp. sic fertur, Cabades siue Coades Persarum Rex, oppidum inter Persiam & Indiam, in quo magnam gemmarum & pecuniæ vim esse audierat, tentans dæmones thesauri custodes, cum magia neque Persica neque Iudaica quicquam profecisset, per Christianos, quos eam à Deo potestatem recepisse audierat, sic confecit. Loci Episcopus ab eo vocatus, conuentu ea de causa coacto, peractis, perceptis, & populo præsenti dispensatis diuinis mysteriis, signo crucis, dæmonia profligauit, & castrum regi nullo labore tradidit. Rex stupefactus, episcopum primæ sedis prerogatiua cohonestauit, cum primas antea Iudæi Manichæique ibi obtinerent, facta Christianis Christianismi libertate, eorum ex persecutore, factus protector. Non credis hæc Nicephoro? Audi de sui temporis miraculis, & vt ita dicam, conterraneis
- De ciuitat. 22. b.* Augustinum, vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, in fundo suo domum comperiens afflictionē animalium & seruorum suorum, noxiam malignorum spirituum vim perpeti, rogauit nostros absente me presbyteros, vt aliquis eorum eò pergeret, cuius illi orationibus cederent: perrexit vnus, obtulit ibi sacrificiū corporis Christi, orās quantum potuit, vt illa vexatio cessaret, Deoq; prouinus miserante cessauit. Hęc illi. Non est ergo quòd rideamus
- Par. 3. que. 76. Art. 7. arg. 3. Quest. 80. art. 9. arg. 2* Aquinatē sic breuiter alicubi proponentē, quòd etiā dæmones inueniuntur huic sacramēto reuerentiā exhibere, & ipsum timere, &c. Addit aliquantò post. Energumenis & darreptitiis, quibus alioqui ex Dionysio. Chrysof. &c. prædiximus sacra nec intueri licuisse, & huiusmodi missellis homunculis, qui ab immundis vexantur spiritibus, & Cassano (sed loco non indicato) cōmunionē sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam. Verius fortè dicturus, non semper, quàm nun-

quàm. Nam quod Dionysium exponit de nõdum bapti-
 fatis, in quibus scilicet necdum vis dæmonis extincta est,
 sed per originale peccatum uiuit atque viget, non satis
 firmum est, nam & alioqui nõ tincti sacris interesse non
 permittebantur. Illud ergo proprius rem nostram, quod *De dimidio*
 prosper recitat Carthagine suo tempore contigisse, sic ut *temporis*
 illic nemo ignoraret. Iuuenulam Arabam, ancillæ Dei *cap. 6.*
 habitum gestantem, dum in balneo lanans veneris inspi-
 cit impudicè simulacrum, eique se cõsimilat, domicilium *1. Petr. 5.*
 se diabolo præbuisse, sit vt leo circuitus, quem quærebat
 deuorandam, inueniret. Meatu enim gutturis statim oc-
 cupato, nullum cibum potumve dies plus minus LXX.
 traicente ieiunium sibi diabolus ex possessio vase exhi-
 buit, hoc monstrum parentes diutius non ferentes cum
 puella sacerdoti fideliter rē intimant. Ea fatebatur auem
 nocte media ori nescio quid infundere stupor erat eam
 videre robustam potius succo viscerum, & mole mem-
 brorum, quàm tam diuturni ieiunij vel iudicio vllò scæ-
 datam, vel pallere, vel tabe, vel debilitate confectam, ha-
 bito consilio inter tam incredibilia sacerdos eam in mo-
 nasterio puellarum S. Stephani præposito commendat.
 Apparet quis & increpat, nec fame, nec siti compulsam
 locum appetuisse, quò sibi minus laceret accedere. Duas
 hebdomadas nihil sumit. Die xv. sacerdote nobiscum
 ascendente, vt solitum illic mane sacrificium offerretur,
 præpositus eam perduxit ad altare, quo solent incessu ha-
 bituque rubore perfusæ ex epulis poculisque mulieres
 aduenire. Quæ vt se altari prostravit, clamore ac fletu
 cunctis lacrymas induxit, quibus tantum malum tamque
 iugè auferendum presens plebs Dominum exorabat. Et
 erat murmur iam indecens. Sacro itaque peracto cum ea
 inter cæteras breuem corporis Domini particulam tin-
 ctam à sacerdote perciperet, semihora mandens traicere *2. Cor. 6.*
 re non valuit, nondum utique fugato, de quo. Quæ con- *1. Cor. 10.*
 sonantia Christi ad Belial? Et. Non potestis calicem do-
 mini & Dæmoniorum bibere, non Domini & Dæmo-
 niorum mensæ participes esse. Manu igitur faciem eius *Calim olim*
 sustentanti sacerdoti, ne sanctum proiiceret, suggestit *etiam mis-*
 Diaconus, vt calicem salutarem gutturi eius pontifex ap- *licum.*

plicaret. Quo factò statim & diabolus quem locum obfederat, saluatoris reliquit imperio, & puella quod ore gestabat sacramentum, cum laude. Redemptoris transglutisse exclamauit. Hinc lætitia, & in Dei gloriam voces, Diabolo post LXXXII. dies expulso, & puella de potestate inimici eruta. Oblatio rursus gratiarum actionis pro ea fit, sacrificiique percipiens certam partem, prisco reddita est vsui. Dumque hæc aguntur, diaconus spiritu actus diuino, statum illam sublatam confregit in puluerem, sic omnem insidiantis astutiam superauit diuina maiestas. Miraculū posterius quidē sed nihilo mirabile minus. Cōtigit Bernardi & tempore, & merito. Virū pauperē hic vxoris adulteræ minis, furore, maleficiis cruciatum, vt consumptis carnibus nec posset mori, nec viuere sineretur, sed sæpe vocis vsu sensuque corrupto, interim rediret, non ad vitam. Sed ad mortem prolixiorē. In hunc, inquam, virum vir Dei indignatus hostis antiqui malitiam sibi tantum vsurpasse, adductum ad se in monasterium, deportatumque ante sanctum altare, superposito capiti eius vasculo Eucharistiam continente, in ipsius sacramenti, dæmone ab eius hominis lizione prohiberi iusto, miserum post tantos cruciatos, fides perfecta perfectæ reddidit sanitati.

Eucharistiam & in hominibus etiam mortuis adorant.

Angeli.

CAP. VI.

Nequē nihil ad hanc rem faciunt historiarū aliquot fide non indignæ, quarum testimonio fama est angelos ad Christi fidelium cum hoc fidei signo decedentium funera non aduentasse modò, sed & adorasse, sic B. Gregorius, magno serio renarrat Romulā Dei ancillam, monialem sanctissimam, cum moribunda viaticū petisset, & accepisset, duorum chororum subitò ante ostium cellulæ consistentium & psallentium celestibus exequiis honoratam, sanctam illam animam inter hæc carne solutā, & magna tum claritate luminis, tum odoris fragrantia, tum etiam psalmodia in cælum ductam, quasi viris tantum dicentibus, & respondentibus scæminis. Quod si qui Gregorio non credant, Chrysostomum audiāt annis eo penè ducentis superiorem. Alius, ait, quidā mihi nar-

*In vita ei.
lib. 1. ca. 11.
Adultera
malefica.*

*Dialogo 4.
cap. 15. Et
hom. 40. su-
per euange-
lia.*

*Lib. 6. de
sacerdotio.*

rauit, non ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset, ipse & audiisset, quòd qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda cōscientiā fuerint participes, spiritū efflati, ab angelis illorum corpora satellitū more stipantū *Propter* assumptum illud *Sacrum*, hinc rectā in cœlum abducuntur. Tu verò nondum exhorrescis talem hanc animam in tam sacrum introducens mysterium. Et hi fortè, aut si qui similes patrum loci extant, occasionem posteritati præbuerunt, curiosius fortasse quæritandi, num vt sumendā in altari, vel ex mensa sacra Domini carnem, ita sumptam in Christi fideli adorare possis? Sic non ita pridè, hoc est, ante paulò plus quadraginta annos, Ioannes Oecolampadius Dominicæ carnis in sacramento absentator, vt sic loquar, post Zuinglium, & sic adorationis inficiator præcipuus, cōtra hanc argutabatur, *Quamuis* Christi corpus hīc adesse diceremus, nec integrum adhuc vt adoratio doceatur. Sicut enim viros sanctos Deum habentes cordium suorū hospitem nō adoramus, ita multò minus panem sacratum, nisi fortè ita deliramus, vt felicius panī coniunctū corpus Christi dicamus, quā prophetis spiritum sanctum. Cui tum ita respondebat D. Ioannes Fischerus Roffensis in *Lib. 3. ca. 5.* Anglia Episcopus, nemo nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. *1. Cor. 2.* *Quamobrè* nec certò scire desiquoquam alio possumus, an Christum gerat in suo pectore, nisi fortè per reuelationem id cuius innotuerit. Cæterum per verba Christi ritè prolata quisque certus esse poterit Christum in sacramento præsentem esse. Quare tutò licebit eum sub sacramento adorare. Nec enim adoramus externam panis & vini speciem: sed Christum subviriūque specie. Et si de quoquā certi fuerimus, quòd Christum haberet in pectore, quid prohiberet, nō hominem dico, sed Christum in eo adorare? Paulo aliter ante hodiernū schisma Gabriel Biel, diligens sanè Theologus, quā scholasticā vocant, rhapsodus, ante sumptionē à sumete adorandū, post gratiarū actionibus pro accepto beneficio vacādum. *Super cano-* Vbi cunq; autem creditur esse, ibi venerandum & intus in anima, licet non exterius in opere, adorandū, maximè dū nō constat quādiu sit in homine, *nem lectio-* *ne 8, G*

sacramentaliter scilicet (de hoc enim illic agitur) & sic ve-
 rē Christi corpus. Hoc autem vel argumentum vel cauil-
 lum totidem verbis legitur in scripto Vvaldensium. Licet
Vvaldenses animaduertant, quæ hīc adorantur, ad tempus esse vt in
de quibus sacramento, sic & in homine, vtique sacramentaliter,
suo post loco quod quia quandiu in fumente, incertum est, nec regula-
 riter, nec ordinariē in fumente sumpta solent adorari.
 Alioqui nihil vetat, quin cū alias semper, tū verò quo
 die cibum hunc non corde tantū, sed ore quoque sum-
 psimus, & tantum hospitem corpore quoque, nedum
 spiritu, circumferimus, maiore nos inuicem honore præ-
 ueniamus, & alius alij præeamus. Est alia diuersitatis hu-
 ius ratio, quam me docuit magister & præceptor meus
 D. Ioannes Benedictus, magnum non ita nuper ordinis
 Theologici & Dominicani ornamentum. Maius scilicet
 Idololatriæ, siquidem Christus sic in homine adoraretur
 latria (de hoc enim honoris genere hīc agitur) periculū.
 Cū enim homo per se rationis ac proinde virtutis ca-
 pax sit vt subiectum, sit autem honor præmium virtutis,
 suo itaque honore homo dignus sit, signa verò sacra nō
 per se, sed propter res tantū quas figurant & exhibent,
 sūt veneranda, periculi tantū non est vt in elementis,
 vt alioqui & sine Dei verbo egenis, infirmis, & mortuis,
 ita verbi eiusdem accessu diuinis & viuificis, idololatriam
 committamus, quā si homines peculiari hoc honore
 propter sumptum sacramentaliter, & sic aliquādiu, Chri-
 stum in eis inhabitantem prosequeremur. Sic enim ho-
 mines paulatim Deos esse putaremus. Atque interim va-
 leat hæc tum dissimilitudo, tum ratio, donec melior oc-
 currat. Hīc mihi in mentem venit alicuius apud Plato-
 nem similis non huic prorsus dissimilis, qui mysteriis, in-
 quit, nuper non initiatus est, sed potius deprauatus, non
 citò hinc illuc ad ipsum pulchrum excitatur, sed quan-
 dam magis eius similitudinem. Ideoque non veneratur,
 dum aspicit, sed quadrupedum instar voluptati deditur,
 petulanter aggredi & atrectare nititur, nec timeret, nec e-
 rubescit. Sacris verò expiatus, & aliquando plurima con-
 templatus, siquando vultum diuina forma præditum, de-
 corum, & ipsam aptè pulchritudinem imitatum videt,

In Phedro,
sive de Pul-
chro.

primū quidem hortet, metusque vetus aliquis in eum
 reuoluitur: post inspiciens, tanquam Deum colit: ac nisi
 vereretur vehementis insanie crimen, sacra amaris non
 aliter quam Dei statuæ faceret. Hæc ille. Sed de hoc for-
 tē plus satis. Ad Angelicam igitur in his mysteriis reue-
 rentiam nobis redeuntibus, occurrit locus D. Bernardi,
 sic contra indignè communicantes meritò indignantis,
 cum multis in Deum atque proximos vitiis, quasi gens
 quæ iustitiam fecerit, accedunt liberè ad Ecclesiam, psal-
 lunt cum aliis, sed non spiritu, neque mente: orationis
 tempore nescio quas ineptias meditantur, & ne ipso
 quidem tremendo angelis participare verentur Domini-
 ci corporis sacramento. Nos verò qui nondum in para-
 disum rapi meruimus, Christi interim carne pascamur,
 mysteria veneremur, exempla sectemur, fidem seruemus
 &c. Rectè igitur tantò antè Alexander Papa I. idem &
 martyr sanctissimus, ita & assumit & colligit de rerum
 harum tum sanctitate, tum cultu, nihil in sacrificiis ma-
 ius esse potest quam corpus & sanguis Christi, nec vlla
 est oblatio hac potior, sed ea omnes præcellit. Quæ pu-
 ra conscientia Domino offerenda est, & pura mente su-
 menda, atque ab omnibus veneranda. Et sicut cæteris est
 potior, ita potiùs excoli atque venerari debet. Rectè tan-
 tò post Honorius III. & nihil ab omni retrò Ecclesia
 Græca & Latina alienum, vt dum siue in sacris eleuatur
 hostia salutaris, siue defertur ad infirmum, populus se re-
 uerenter inclinet. Deferat autem eam presbyter ac refe-
 rat habitu decenti, mundo velamine, manifestè ac ho-
 norificè cum omni timore ac reuerentia. Quæ est prima
 & vltima Pontificum Romanorum hac de re sanctio,
 nisi quod inter Præfationes, quarum ferunt autorem
 fuisse Gelasium I. in quadam, quæ est, vel potius fuit, o-
 ctava de Tempore, sic legimus. Et sursum cordibus ere-
 ctis diuinum adorare mysterium, vt quod magno Dei
 munere geritur, magnis Ecclesiæ gaudiis celebretur.

*Serm. cōtra
 vitium in-
 gratitudinis*

*Epist. I. Et
 de conf. dist.
 2. c. Nihil.*

*Extra. d.
 celebr. mes-
 sar. c. Sane.*

*Suis quoque signis, nedum signatis rebus honor
 semper fuit, atque cultus.*

CAP. VII.



Hactenus de Corporis & sanguinis domini in iis mysteriis præsentia, & propter præsentiam adoratione. Est autem & signis, ut rerum adeò adorandarum exhibitinis, suis quoque honor & cultus singularis. De utroque ergo, tum rerum, inquam, tum signorum cultu sic ad Ianuarii B. Augustinus, quo loco disputat num quotidie accipienda sit Eucharistia, & non potius dies eligendi, quibus purius homo continentiusque vivit, quò ad tantum sacramentum dignus accedat, faciat, inquit, unusquisque, quod secundum fidem suam pie credet esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ceterionis exemplo, indignum se putat dominum sub tectum suum recipere: & ille honorando non audet vllò die prætermittere, sed quasi Zachæus Dominum gaudens in domum suam suscipit. Contemptum solum non vult cibus hic, sicut Manna in primo populo fastidium, ut illud unicuique secundum propriam voluntatem sapiebat, sic sacramentum hoc in ore cuiusque Christiani quomodo sumatur, æstimandum. Inde enim Apollolus indignè dicit acceptum ab eis qui non discernebant à cæteris cibis *reuerentia singulariter debita*: Continuo quippe cum dixisset, iudicium sibi manducat & bibit, addidit ut diceret, non diiudicas corpus Domini. Audis reuerentiam diuini Christi corporis in his sacris singulari-rem. Et paulò post, Liquidò apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non accepisse ieiunos, nūquid tamè propterea calūniandum est *vniversæ Ecclesiæ*, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit *Spiritus sancto*, ut in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani dominicam corpus intraret, quam exteri (vel cæteri) cibi. Nā ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Nec enim quia post cibos dedit Dominus, propterea præsi aut cenati fratres ad hoc sacramentum accipiendum conuenire debet, &c. Audis rursum & sacramenti honorè, & obiter eius à ieiunis sumendi ritum. Et vtrūque tam cultum dico, quam ritum, non localem,

Epist. 118.
cap. 3. Eucharistia an
quotidie sumenda.
De rom.
dist. 2. can.
quotidie.
Matt. 8.
Luc. 7. 19.

Manna.
Sap. 16.

I. Cor. II.

Cap. 6.
Can. Liqui
do. li. 4.
sententiar.
Dist. 8. c.
Eucharistia a ieiunis sumenda.

aut, vt ita loquar, regionalem, sed vniuersalem & catholicū. De cuiusmodi ritibus Ecclesiæ paulò antè præscripserat, Si quid horum per orbem frequētat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insanix est. Et Chrysostramo magni criminis loco obiectum est, ad communionem nō ieiunos recepisse. Quod adeò deprecatur, atque à se amolitur, vt non recuset, si hoc fecerit, expungi nomen suum ex albo episcoporum, nec scribi in libro orthodoxæ fidei: Abiiciat, inquit, me Christus è regno, si tale quid admisi. Erasmus post Palladium nihil tale, sed eum vel instituisse, vel monere solitū fuisse, vt qui accessissent ad mensam Dominicam, post communionem, mox aut aquam (vt hodie viuum) aut pastium (fortè crustulum) degustarent, ne contra voluntatem vna cum saliuā, aut pituita quicquam sacramenti exercerent, quod & ipse prius faciebat. Religionem pie sentientibus augens. Nefas, ait prior eo Basilius, sacerdotem sine ieiunio sacra attingere, non solū in mystica nunc & vera dei adoratione, sed in figurata ex lege introducta. De hoc canon. xxix. Concilij Carthaginensis i i i. Siccauit. Vt sacramenta altaris non nisi a ieiunis celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna domini celebratur. Nam si quorum pomeridiano tempore defunctorum, siue episcoporum, siue cæterorum, commendatio facienda est, solis fiat orationibus, si qui faciunt. Non pransi inueniantur. Et Antisiodorensis canon xix. Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono, post acceptum cibum vel poculum. Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, stare. Et Tolerani v i i. canon i i. Nullus post cibum potumque quamlibet minimum sumptum, Missas facere præsumat. Ab hoc tamen adeo rationabili Ecclesiæ statuto, & regula alioquin vniuersali excipiūt quidam infirmos, vt statim etiā post cibum cōmunicandos, si super eorum perichlo dubitatur, ne sine communionē decedant. quia necessitas legem non habet. Quanquam canon ab eis citatus ex concilio Guarmacien, vt presbyter Eucharistiam semper paratā habeat, vt si quis infirmatur, statim eum cōmunicet, ne sine cōmunionē moriatur.

*Epist. 3.**De conf.
dist. 1. cap.
sacramēta.**7. q. 1. cap.
Nihil con-
tra.**Tho. Par.
3. quest. 80.
Artic. 8.**De cō. dist.
2. ca. pres-
byter.*

non exprimit etiam non ieiunum communicandum, ut hoc fortè casu illud melius valeret, Crede & manducasti, &c. Certè primo Christianos hoc antè omnem cibū sumere solitos constat ex Tertulliano ad Vxorem. Ego verò noui fratres hodie in Gallia, si Baccho & Como hac in parte placet, reformatos, si non pransos, at probè sumptò prius ientaculo pastos atque potos ad cœnas alicubi suas accessisse. Nec verò mirum, Nam præterquam quòd iuxta nouum eorum dogma, tam absunt à cœna Dominica cibi illi mensæ Dominicæ proprij, singulari veneratione digni & colendi, quàm cœlum à terra, Canon hic Augustinianus, ut & reliqui Canones Ecclesiastici, quamlibet veteres aut Apostolici, quia tamen per manus traditi, non expressè in Euangelicis aut Apostolicis literis conscripti, reformatoribus istis papisticus est. Atqui Augustinus, doctòr vtique post Apostolos tantus, ut maior nemo, ritum hunc, quem vniuersa per orbem seruât Ecclesia, à Paulo ipso ordinatum esse, ex eodem Pauli loco intelligi datum, vbi scripserat, Cetera cum venero, disponam, intellexit, ut cui, eiusque coapostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat Christus, cum non præcepisset quo deinceps ordine sumeretur sacramentū, locum hunc seruasset. Nam si hoc is monuisset, ut post alios cibos, sicut id refectis tradidit & cœnatis, semper acciperetur, eum (credo) morem nemo variasset. Hæc obiter de sacramento nisi à ieiunio non sumendo. Nec tamen præter rem, quòd huius ieiuniosi ritus causa fuerit, honor, de quo hic mentio, tanti sacramenti. Qua etiam honoris non tantum sumendo, sed etiã sumptò debiti causa voluit eadem antiquitas moræ aliquid inter huius sacramenti sumptionem & cibos reliquos interponi: ut legitur in Canone Clementino. Redeuntibus ad hunc honorem occurrit Theodoretus in Dialogo, cui titulus, *Inconfusus*, Mystica, inquit, signa post sanctificationem intelliguntur ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, προσκυνῶνται, ut quæ illa sint quæ creduntur. Et in alio qui inscribitur *Iuspatibilis*, sic idem qui suprâ loquitur Orthodoxus, Non solius hominis corpus, sed Domini nostri Iesu Christi vniigeniti filij Dei corpus salutem nobis

rem nobis procurauit. Sin autem id tibi paruum & vile putatur, quomodo eius typum ac figuram venerabilem & salutarem existimas? Cuius enim typus est adorandus atque venerandus, προσκύνητος ἢ σεβασμῖος, quemadmodum est ipsum exemplar archetypum vile atque aspernandum? Vt Græcus hic autor etiam ex sacramenti honore rem honore dignam probat, cum nos honorandum propter rem signum hinc probemus. Ad quorum honorem etiam pertinet scrupulosa illa veterum obseruatio & cautela, ne quid sumpti sacramenti humi decideret, aut decuteretur, Cuius sic meminit inter priscos huius sacramenti ritus Tertullianus, Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur, nisi forte de pane etiam communi, & non sacro hinc loquitur. De sacro certe ita concionabatur huic scriptori proximus Origenes, Volo vos religionis vestre exemplis admouere: Nostis, qui diuinis mysteriis interesse consuestis, quomodo cum corpus Domini suscipitis, cum omni cautela & veneratione seruat, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & merito vtimini. Breuius Hieronymus, si eius sunt in Psalmos commentarij, Si quando imus ad mysterium: qui fidelis est, intelligit: si in maculam ceciderit, periclitatur. Et hos imitatus Augustinus, Quanta, inquit, sollicitudine obseruamus, quando corpus Christi nobis ministratur, vt nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat, &c. Inferunt autem ex hoc Dominicum corpus caute seruitandi, honorandique veterum ritu, verbi persequere diuini auditi grauem neglectum. Sicut & a'ibi ex manu ante sacramenti sumptionem lotionem, conscientiarum prius lauandarum necessitatem: & ex linteaminis, quo id accipiendum excipitur, nitore, cordis & corporis munditiam multo plus necessariam. Sed prestat audire, nam & locus hic ad vtriusque, rei dico & symboli honorem pertinet: Omnes, ait, viri quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi Christi corpus accipiant. Hoc dico

Panis ne humi decidat etiam non facer. De corona milit. Homil. 13. in Exod. Sacramenti ne quid decidat, cautela.

Psal. 147.

Homil. 26.

1. q. 1. cap.

interrogo.

Verbi diuini

negle-

ctum auditus

periculum.

Lotio ante

comunionem.

Linteolo sa

cramentum

excipere.

Sermo. 252.

de Tempore.

quod vos frequenter facere accipio. Non est graue, nec laboriosum, fratres, quod dico, quod suggero. Quomodo viri lauant aqua manus suas, sic eleemosynis lauent conscientias suas. Similiter & mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi Christi corpus accipiant: sic corpus castum, & cor mundum exhibeant, vt cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant. Sed de toto hoc rerum & signorum cultu, cultus ratione ac differentia sic resoluit. Idem doctor resolutissimus S. Augustinus, Christiana, inquit, libertas, quos inuenit sub signis vtilibus (qualia erant veterum sacra, sacramenta, & sacrificia) interpretatis signis quibus subditi erant, eos ad eas res eleuatos, quarum illa signa sunt, liberauit. Ex his factæ sunt Ecclesiæ Israëlitarum. Quos autem inuenit sub signis inutilibus (Paganos, vt potè sub idolis) non solum seruilem sub talibus signis operationem, sed ipsa etiam signa frustra remouitq; omnia, vt à corruptione multitudinis simulatorum deorum, ad vnus Dei cultum gentes conuerterentur, non iam sub signis vtilibus (legis nouæ sacramentis, sacrisque ceremoniis) seruituræ, sed animum potius in spiritali eorum intelligentia exercitaturæ. Sub signo enim seruit, qui operatur & veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet. Qui verò operatur aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potius quò talia referenda. Talis autem homo spiritalis & liber est seruitutis etiam tempore, quo carnalibus adhuc animis nondum oportet signa illa reuelari, quorum iugo edomandi sunt. Quales spiritalis erant patriarchæ ac prophetæ, omnèsque in populo Israël, per quos nobis Spiritus sanctus scripturarum auxilia atque solatia ministravit. Hoc verò tempore, postquam resurrectione Domini nostri manifestissimum iudicium nostræ libertatis illuxit, ne eorum quidem signorum quæ iam intelligimus, operatione graui onerati sumus: sed quædam pauca pro multis, eadèmq; factu facillima, intellectu augustissima, obseruatione castissima, Christus & Apostolica tradidit disciplina, vt est baptisimi sacra-

*De doctrina
Christiana. lib. 3.
cap. 8.*

*Cap. 9.
Sic Dominus,
Vos adoratis, quod
nescitis, o
Samaritani. Nos, Iu-
dæi, adoramus,
quod scimus. Io-
annis 4.*

mentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Quæ vnusquisque cum percipit, quò referantur, imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spiritali potius libertate veneretur. Vt autem literam sequi, & signa pro rebus, quæ his significatur, accipere seruilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris. Qui autem non intelligit quid signum significet, signum tamen esse intelligit, seruitute non premitur. Melius autem vel premi incognitis, sed vtilibus signis, quàm inutiliter ea interpretando, ceruicem à iugo seruitutis eductam laqueis erroris inserere. Hæc ille. Ex quo habes, non res tantùm sacras, vt etiam exhibitas, nedum significatas, sed signa quoque sacra, vt eas etiam exhibentia, nedum significantia, intellecta quidem, bene omnino: non intellecta verò, non tamen seruiliter, ac proinde non malè venerari. Atque hîc de sacramentorum, in vsu præsertim, intelligentia, & præuia proin explicatione, agendum foret, nisi argumenti res esset prolixioris. Tutius omnino quod Tridentina Synodus innouauit, quod & postulauerat Christianissimus Rex nolter Carolus I X. prius eorum vim ac efficaciam, vsum atque rationem pro suscipientium captu, ac commo explicare, &c.

Sessio. 24.
can. 7. Re-
formatio-
nis.

*Sua etiam sacra supellectili seruat a semper reue-
rentia.* Cap. VIII.



Quæ etiam non sacris modò symbolis, propter rerum vtiq; quas significant, præsentiam & exhibitionem, sed supellectili quoque sacramentariae suae semper fuit apud Catholicos honor atq; cultus. De quo D. Hieronymus librorum Theophili Alexandrini Paschaliū interpres, ad eundem sic testatur: Sic autem erit testimonium hoc Græcolatinum. In opere, ait, tuo vtilitatem spectauimus Ecclesiarum, vt discant qui ignorât, eruditi testimonii scripturarum, qua debeant ueneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacros-

Vasa &
velamina
sacra.

que calices, & sancta velamina, & cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania & sensu carentia, sanctimoniã non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini, eadem qua corpus eius & sanguis, maiestate veneranda, Sic ille. Hic verò in mentem veniat illius Topicorum, Vbi duo propter vnum, ibi vnũ tantum. Alioqui, non tam ineptiit, aut etiã desipuit Hieronymus, vt vel sic seruire voluerit creaturæ, sicut creatori. De altaris item cultu, propter ea nimirum, quæ tum illi superponuntur, tum etiam inde dispensantur, sic concionatur Chrysostomus, vt ex eius in vtraque lege cultu, fratris seu proximi, qui & ipse suo quoque modo Dei altare est, honorem inferat, vt superiores audiuimus ex sacramenti honore, verbi Dei auditi honorem colligere. Sic ergo, Vis & patris, ait, cœlestis altare videre? nõ id extraxit homo artifex, sed Deus: nec lapidibus, sed materia cœlo clariore, animabus nempe rationalibus. Hoc altare ex ipsis Christi membris compositum est, & corpus Domini (mysticum, fratres quique) altare tibi fit. Reuerẽte istud ipsum, hoc altare etiam hoc (nouæ legis) quod nũc nedum illo (veteris legis) quod olim solũ, magis horribile est. Sed ne turbemini, Nam hoc quidem admirabile est, propter sacrificium quod super illud ponitur. Illud autẽ hominis vt pote misericordis, non propter hoc solũ, sed quòd ex illo sacrificio, quod hoc facit, compositum est. Nam hoc mirabile, Lapis enim natura quidem est, sanctus autem, seu sanctum fit: quoniam Christi corpus accipit: Illud verò altare sanctius, quoniam Christi corpus est, ita hoc illo lapideo sit horribilius, cui tu laicus assistis. Ergo tu hoc quidẽ altare honoras, quod Christi corpus accipit: cum autem qui ipsum Christi corpus est, contumelia afficis, & pereuntem despicias? &c. Hinc illa templorum & altarium apud veteres Christi fideles oscula, quod adorationis genus est. De quo idem, Nonne, aiebat, videtis quòd etiã vestibula templi huius (vtiq; materialis) osculantur, illi quidem genu flectentes, alij autem manu contingentes, & ori manum admonentes? Et Ambrosius ad Marcellinam sororem, Certatim hoc, inquit, nunciare milites, irruẽtes in altaria, osculis signi-

Rom. 1.

Altarium honor.

Homi. 20. in 2. Cor.

Altare duplex.

Consule Græcum.

Osculare tẽpla, altaria, &c.

Homi. 30. in 2. Cor.

Epist. 33.

ficare pacis infigne. Quid quòd & hoc agnouit Lutherus ingratisimorum, id vt pote negantium, pater? Sacrorum etiam, ait, monumenta, cathedras docentium, baptisteria, altaria quasi exosculamur, quòd sanctissimarum rerum copia nobis in illis sine vi opposita diuinitus subministratur. Corporalis Dei praesentia in cathedra, altari, baptisterio &c. Et queritur Chrysostomus ad Innocentium I. Rom. Episcopum, in tumultu illo aduersum se excitato, sanctuaria ingressos esse milites, quorum aliquos sciret nullis initiatos mysteriis, & vidisse, quae intus erant, omnia, in eorum vestes, vt sit in tali tumultu, sanctissimum Christi effusum sanguinem. Hinc illae rursus cautele de adytis à quouis non adeundis, & sacris promiscue nec quidem attingendis, aut etiam vnquam profanandis. De quo Canon VIII. Synodi Romanae II. sub Syluestro I. Nullus lector vel ostiarius vasa sacrata audeat contingere, nullus acolythus rem à presbytero sacratam alij porrigere: quia aliud est minister, aliud assistens, nisi tantum suppetet, quod ei sacerdos ore suo benedictum imponeret. Laodicensis Canon XXI. Quòd non oporteat subdiaconos habere locum in Diaconico, seu licentiam in secretarium, seu sacrarium, quod Graeci Διακονικόν, siue diaconium appellant, ingredi, & Dominica vasa contingere. Et repetitus est verbis totidem in Agathensi Canone LXVI. Quoniam non oportet ministros in sacratos, &c. Quos velut expones Bracarésis Concilij I. Can. XXVIII. sic habet, Placuit vt non liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nec aliis, nisi his qui ab episcopo subdiaconi fuerint ordinati. Quod & repetitur in libro capitulorum per Martinum Bracarensem tunc episcopum ex Graecis Synodis collectorum, cap. XL. Non liceat cuilibet ministeria tangere, nisi subdiacono, aut acolytho in secretario vasa Dominica. Haec autem de hypodiacono diaphonia, quae apparet, soluta perfacilis est, quòd hypodiatonatus nec semper, nec statim sacer ordo fuit. Sequitur ibidem cap. XLI. Non liceat mulierem in secretarium ingredi: Vetus item canon Soteris I. papae & martyris vetat, vt rem omni reprehensione ac vituperatione plenam, mulieres etiam Deo sacras siue monachas, sacra vasa, vel sacratas

Serm. in festo dedicationis.

Epist. I.

Sacra non cuius aduenda, attingenda, profananda.

Distin. 23. can. Non oportet. cap. Nō liceat. Diaconi.

Subdiaconatus non semper sacer.

Epist. I. ca. Sacratas.

pallas contingere. Antisiodorēsis itē canon xxxvi. prohibet mulieri nuda manu Eucharistiā sumere xxxvii. manū suam ad pallas Dominicas mittere. Inter decreta Synodi Constantinopolitanæ vi. sic habet ex canonibus Apostolorū cap. iiii. Nullus sacerdos aut clericus, aut laicus præsumat calicem aut patenā, aut quēlibet vasa sacra, & diuino cultui mancipata, ad alios vsus retorquere. Nā quicūq; de calice sacrato, quo sanguis Christi accipitur, aliud bibit præter Christi sanguinē: & patenam ad aliud officium habet quā ad altaris ministerium, detegēdus est exemplo Balthazaris (Babyloniorum regis) qui dum vasa Domini in vsus communes accepit, vitā pariter cum regno amisit. Clemēs certē I. Sacerdotes aliōsq; clericos seruientes, vt honore, sic loco discreuit à laicis. Hos ergo noluit eò loci, vbi consistunt illi (quod Presbyteriū nuncupatur) quādo missā celebratur, consistere, qnò liberius ac magis honorificè sacra sacerdotes officia exercere possint. De quo ita canit multò post Synodus Mogūtina, Vt tēplis à laicis etiā loco distincti. laici secus altare, cū sacra celebrantur, stare vel sedere inter clericos non præsumant, sed pars quæ cancellis ab altari diuiditur, pfallentibus tantū pateat clericis. Ad orandum verò & communicandū, sancta, prout mos est, laicis & fœminis pateant, R hemensis repetit vtriusq; prohibitum & sacrariū ingredi, & altari propinquare. Hinc peruetus illud I. præclarum nescio maioris in episcopo imperij, an in principe obsequij exemplum. Theodosius maior penitens & reconciliatus Mertiolani templi sacrarium ingressus, dono pro more oblato, intra sacros cancellos permanerat, sanctiore vique sacerdotum loco, vbi antiquitus Imperatoris consistere moris erat, ob dignitatis eminentiā à plebe segregatos. Quod Ambrosius episcopus adulationis magis quā ordinis esse recti arbitratus, imperialis stationis locum redegit in ordinem, pro tabulatis seu cancellis sacrarij sede illi designata, sic vt princeps quidem honoratiore præ populo, præ principe ante sacerdo locū obtineret. Principē ergo in sacrario episcopus misso primario diacono interrogat, si quid vellet, respōdētī diuinorū se mysteriorū perceptionē ibi expectare, significauit per eūdem internū-

Dan. 5.

*De consecr.
dist. cap. Sa
cerdotum.
Presbyteri-
um.*

*Clerici in
tēplis à lai-
cis etiā loco
distincti.*

*Extra. de
vit. Et hon.
cler. cap. 1.*

*De consecr.
dist. 2. can.
Peruenit.
Tripart. 9.*

*Theodoret.
5. 18.*

*Sozomen.
7. 24.*

*Paul. dia-
con. 13.*

*Archidia-
conus.*

cium sacrarium interius tantum esse sacerdotum, cæteris eius adita abstinendum. Illi ergo exeundum & communi cum aliis loco standum esse. Purpuram enim Cæsaris non sacerdotes facere. Princeps renunciat eò non tene- re se adductum, sed consuetudinem, quæ Constantino- poli seruaretur. Scrutum in sacrario substituisse, magnas interim de tali correptione gratias ei agere. Constanti- nopolim itaque reuersus, cum teste die dono oblato sta- tim ex sacrario retrocederet, Nectario id ægreferenti, causamque quærenti, respondit non sine stomacho. Vix aliquando tandem didici, quod sit inter principem & E- piscopum discrimen, vnum qui pro dignitate episcopum ageret, Ambrosium uactus. Et quæ Mediolani ordinem Ambrosius instituerat, Theodosius laudauit, posteri a- deò confirmarunt, vt Nicephorus horum post anterior- es id temporis historicos renarrator, scribat ad sua vsq; tempora seruatum se Constantinopoli semel animo tem- pore ætatis suæ tamen principes vidisse sacra adyta in ma- gni Dei sophiæ templo ingressos. Sub crucis forma, in sa- cra mensa noua adolentes aromata, & dona ei interen- tes. O nostri seculi prolapsos mores. Si nunc dignetur princeps templum adire, extruitur ei tabernaculum alta- ri propè sublimius: & intra cancellos non modò inter ho- nestos ciues recipit, mercatoris, decanos & Ecclesiæ pri- mores? Sellis suis deturbant, &c. Sed ad prius institutum reuertamur. Canonum Apostolicorum Clemens, vt au- dit, collector, iussit calicem ad perferendum Domini san- guinem, cum tota ministerij munditia, à ministro præ- parari, ne, inquiebat, calix non uene lotus diacono pec- catum fiat offerenti. Pallas verò & vela in sanctuarij mi- nisteriis sordidata, diaconos cum humilibus ministris la- uare iuxta sacrariam, non eiicientes inde foras mensæ Dominicæ velamina, ne fortè corporis Domini pul- uis malè decidat à sindone foris ablata, & sit hæc operati peccatum. Hęc igitur intra sacrarium à ministris cum di- ligentia custodienda. Peluim nouã comparandam, quæ præter hæc nihil illud tangat, nec velis aliis lauandis ap- ponatur, nisi ad Domini corporis cultum: sed solæ in ea pallæ altaris lauentur. In alia ianuarum vela, & de his

*Purpura
principum,
non sacerdo-
tum.*

12.41.

*Eras. pref
in Ambros*

Epist. 2.

*De cons. di.
1. can. Ne-
mo per.*

quoque cura sit hostiariis ex maiorum admonitione, ne quis negligens aut ignarus ad velum ianuæ domus Domini manus in crudelitè tergat: sed statim coërcitus discat omnis homo, quia velum atrij domus Domini sanctum est. Quem canonem partim innouauit Ilerdense Concilium, vt ad corporale lauandum, & ad pallas altaris propria habeantur vasa, in quibus nihil aliud fiat. Addit Clemens, Nemo per ignorantiam clericus palla mortuum credat obuoluendum, aut diaconus scapulas operire velit, quæ in altari fuit, aut certè ad mensam Domini data est. Quod etiam innouauit Aruernensis Concilij canon. III. Obseruandum ne pallis vel ministeriis diuinis defunctorum obuoluantur corpuscula. Et canou V. De opertorio Dominici corporis seu palla altaris, nunquam sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur, quia sacro velamine vsibus suis reddito, dum corpora honorantur, altaria polluuntur. Idem quod supra, de vasis sacris statutum extitit Sixti I. ne ab aliis quàm sacratis Deoque dicatis contrectentur hominibus, maximè verò à scæmiais. Indignum valde vt humanis seruiant vsibus, aut ab aliis quàm à viris Domino famulantibus tractentur, ne pro eiusmodi præsumptionibus cratus Dominus, plagas imponat populo suo, & hi etiam qui non peccauerunt, mala patiantur aut percant, quia perit saepe iustus pro impio. Non permittenda ergo in Ecclesiis deinceps talia. Idem & Stephani I. sub Valeriano & Gallieno Imp. de vestimentis Ecclesiasticis, quibus Domino ministratur, cultusque diuinus omni cum honorificentia & honestate à sacerdotibus reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, quæ sacrata esse debent & honesta. Quibus, cum Deo eiusque seruitio consecrata sint & dedicata, nemo in aliis vsibus frui debet, quàm Ecclesiasticis, Deoque dignis officiis. Quæ nec ab aliis contingi debent aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne quæ Balthasarem Regem percussit vltio, super hæc transgredientes, & talia præsumentes, diuina veniat, & ad ima eos corruere iustum diuinæ vindictæ flagellum faciat. Patres igitur aliquantò post in Bracarenfi Concilio III. collecti, contra

*De conf. di.
4. ca. Om-
nis presbyt.
Vbi supra.*

*Epist. 2. ca.
In sancta
Platin.*

*Epist. 1. ca.
vestimenta.
Breuit.
To. 2. Aug.*

Dan. 5.

sacerdotes superiora de his decreta violare presumentes,
 sic cauerunt. Omni cura studioque providendum, ne *Can. 2.*
 qui locum videntur obtinere regiminis, contumeliam
 inferre videantur celestibus sacramentis. Etenim quod
 & auditui terribile, & visui est execrabile, relatam nobis
 est quosdam sacerdotum sacrilega temeritate precipites,
 vasa Dominica in proprios vsus assumere, epulasque sibi
 in eis comedendas apponere. Quod malum & obstupen-
 res deflemus, & desentes obstupemus, vt in iis humana
 sibi temeritas epulum praparet, vbi sanctum spiritum co-
 gnoscitur aduocasse: & esum ibi carniū coapulatus quis
 assumat, vbi diuina visus est celebrasse mysteria: & in
 quibus tantum sibi offerri sacramenta pro delictorum *Vel. tate rei*
 expiatione prapcepit, in his ludibrij sui expleat volunta- *sacramentū*
 tem. Huius itaque de cetero prapsumptionis persona, que *percepit.*
 sciendo diuina vasa vel ministeria, aut in suos vsus tran-
 stulerit, aut in eis comedere, vel poculum sibi sumendum
 elegerit, gradus sui vel officij periculum sustinebit, secu-
 laris quidem, perpetuæ excommunicationis condemna-
 tione, religiosus autem ab officio depositione. Qua e-
 tiam damnationis sententia tenebuntur obnoxij, qui
 Ecclesiastica ornamenta, vela, vel alia quauis indumen-
 ta, aut utensilia, sciendo in vsus suos transtulerint, aut
 aliis donanda vendendave crediderint. Et Zepherinus *Vasa sacra*
 quidem xvi. Rom. Episcopus patenis vitreis Missas ce- *ex qua ma-*
 lebrari constituit, vt habet canon Triburiensis xvi. vt *teria.*
 liber Damasi Pontificalis, vt patenas vitreas ministri an-
 te sacerdotes portarent. Vt recentiores, inter quos Plati-
 na, vt consecratio diuini sanguinis in vase vitreo, non,
 vt antea, fieret in ligneo. Deinde Urbanus papa xviii.
 omnia ministeria sacrata fecit argenta. In hoc enim, vt
 & in reliquis cultibus, magis atque magis per incremen-
 ta temporum decus decreuit Ecclesiarū. Nam Bonifacius
 martyr & Episcopus, interrogatus liceret necne in vascu-
 lis ligneis sacramenta conficere, respondit, Sacerdotes
 quondam aureos ligneis calicibus vsos, nunc è contrario
 ligneos aureis vti. Nostris ergo diebus, aiūt qui antè, Tri-
 burientes, qui serui patrisfamilias sumus, ne decus matris
 Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur ac amplifice-
De cons. di.
1. can. Vasa
Fulg. sus id
apost. hiege-
ma Amor.
atribuit.
cap. de inst.
antiquis.

*Cita. Gratian. ex ca. concii. Rhe-
mensi, in ca.
Ut calix,
Breniar.
Rom. 26.
Aug. Plat.
Extra. de
custodia etc
cap. 2.
Mar. 11.*

tur, statuimus, ut nullus deinceps sacerdos sacram myste-
 rium corporis & sanguinis Dominici in linguis vasculis
 vlllo modo conficere presumat, ne vnde placari debet, in-
 de irascatur Deus. Zephirini certè institutio iã olim anti-
 quata est, nedum immutata. Et veritum ac sancitum, ut
 neque in ligneo, propter raritatem, qua sacramentũ im-
 bilitur: nec in vitreo, propter fragilitatem: nec ex ære, ob
 tetrum saporem, quem inde concipit ac contrahit: nec ex
 ærichalco, quia æruginem facit, & vomitũ prouocat: sed
 ex auro argèto ve, aut stanno fieret. Post Innocèsius III.
 in Lateranensi Concilio, relinqui nolens in correctum,
 quòd clerici quidam sic exponerēt Ecclesias suppellecti-
 libus propriis & alienis, ut potiùs domus laico, quàm Dei
 viderentur basilicæ, non considerantes quòd Dominus
 non sinebat ut vas transferretur per templum: Alij non
 Ecclesias solùm incultas dimitterēt, sed ministerij quoq;
 vasa, ministrorum vestimenta, pallas altaris, & corpora-
 lia tam immunda relinquerent, ut aliquibus interdum ef-
 sent horrore: statuit ne huiusmodi in Ecclesiis admitte-
 rentur, nisi propter hostiles incursus, repentina incèdia,
 aut alias vrgentes necessitates: quibus tamen cessantibus,
 res in pristina loca reportarentur. Prædicta igitur mun-
 da conseruari & nitida iussit, nimis enim absurdum videri,
 in sacris sordes negligere, quæ vel in profanis dedece-
 rent. Hæc ille. Marci autem locum si quis negat ad hanc
 rem facere, audiat ibidem Chrysostomũ sic concionan-
 tem. Eo tempore in carnali templo non dimittebat Chri-
 stus ferri vas. Et hodie quanta in Dei tẽplo vasa morãtur
 immunda? Eo inquam, tẽpore trãsserre non licebat vasa,
 & non dicit, immũda, sed vasa quęcunq; simpliciter nun-
 cupauit, nũc verò quanta vasa morãtur intrinsecus? &c.
 Et hic locus nobis ad Chrysostomiana viam sternit, si
 fortè superiora, nobis quidẽ Ecclesiastica, reformatori-
 bus ministris extraordinariis sunt papistica. Sic igitur os
 illud aureum de aureis vtriusque testamenti vasis sacris,
 qui phialas poculãve aurea Deo dicaturi sunt, postquam
 ea iam confecta acceperint, denique reposuerint, nequa-
 quam ea quasi profana intuentur, sed tanquã Deo sacra,
 nec audeat ea temerè citràque causam attingere, quæ ad-

Homi. 13.

*Homi. 2. de
Anna.*

mòdum cætera. Et, Si vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre peccatum est & periculum, sicut docet nos Bal- thasar, qui bibens in calicibus sacris, de regno depositus est & de vita: Si hæc ergo vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre sic pericalosum est, in quibus non est verū Christi corpus, sed mysterium corporis eius continetur, quantò magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparauit, nõ debemus dare locum diabolo, agendi in eis quæ vult? Hunc locum, præterquam quòd & liber totus non olim tantum ab Erasmo, sed & nuper à patribus Tridentinis notatus est, quia negare videtur in Eucharistia verum Christi corpus, cum in eam rem allegasset in præfatione suæ institutionis Pseud'alcuinus, in posterioribus editionibus refecuit verus & sui similis Cal uinus, opinor, quia proprius inspectus, de veteribus templi loquitur tum vasis, tum mysteriis. Alioqui longè abest verus Chrysostomus, vt sic vsquam alibi prædicet. Adeoque hic autor, quisquis fuerit, rectè alibi, & quidem in eodem opere, sentit atque scribit, de manu sacerdotis hîc dari sumique non id modò quod videtur, sed & quod intelligitur: non solum sanctificatum, sed sanctificationem quoque ipsam: ecquam verò, nisi Iesum Christum, sanctificationem nobis à Patre factum. De vasis igitur legalibus locus hic fuerit Pseudo Chry- sostomi: qui indubitatus Chrysostomus, tantus licet paupertatis amator & commendator, num ideo Eucharistica noluit aurea? Imò etiam voluit, sed meliora maluit, hoc est, corda, vt cum eodem loquar, aurea. Ne satis, ait, putemus ad salutem nobis esse, si viduis & pupillis expilatis, aureum calicem & gemmis orna- tum huic mensa offeras. Vis enim sacrificium hoc hono- rare? animam offeras, propter quam Christus im- molatus est, & hanc auream facito. Nam si plumbea est aut testra, imò testa plumboque deterior, vas autem aureum, quid vtilitatis? quid tibi proderant aurea vasa? Non igitur laboremus, vt aurea tantum vasa offeramus, sed, & quidem multò magis, de iustis quæ sita laboribus. Hæc aurea sunt, & aureis preciosiora, quæ auaritia non inquinantur: nec enim aurificina est, aut argenta

*Homi. II.
editionis 2.
in Matt.
Dan. 5.*

Homil. 17.

I. Cor. I.

*Homil. 60.
ad Antioch.
51. in Mat.*

ria officina, sed angelorum concio, atque celebritas, Ecclesia. Animarum ergo munditia opus, ut propter quas hæc quoque vasa Deus acceptat. Et certè non erat tunc nec argentea illa mensa, nec aureus ille calix, quo Dominus discipulis suis suum sanguinem præbuit (audis in calice Domini sanguinem, nedum mysterium) preciosa tamen illa omnia, & tremenda, & veneratione, quia etiam spiritu plena, & abundantia. Vis Domini corpus honorare? nudum ne despice, neque hic quidem in Ecclesia sericis honores vestibus aut pannis induas, foris autem frigore ac nuditate confici sinas, confectum ac pereantem negligas. *Qui dixit, Hoc est corpus meum, idque verbo fecit, idem dixit, Quod vni ex minimis non fecistis, mihi nec fecistis.* Hoc Christi corpus anima munda indiget, non amictu: Illud multa cura & magna diligentia. Discamus Christum pro sua voluntate honorare, is ei honor incundissimus, quem vult, non quem putamus. Non eget Deus vasis aureis, sed animis. Hoc dico, non quia vetare velim talium vasorum oblatione, sed quod dignum putem cum his & ante hæc eleemosynæ incumbendum, & illa enim Deus accipit, sed hanc multò magis. Illa danti profunt, hæc etiam accipienti. Illic ostentationis & ambitionis esse potest occasio, hæc tota humanitati attribuitur. Nam quæ quæso, utilitas, si cum eius mensa calicibus aureis referta sit, is fame pereat? prius esurientem satia, post mensam eius ex abundantia adorna. Calicem aureum facis, calicem frigidæ ei non porrigis? Pallia & mensæ coopertoria auro nitentia paras, & necessaria ei tegumenta negas? Quod inde emolumentum? quod lucrum? Dic, oro, si quem fame pereuntem intus necessario cibo non reficeres, mensam auro argentoque operires ac ornares num is gratias haberet, ac non potius indignaretur? Quid si nudum atque congelatum conspicatus, nec tamè vestias, sed aureas in eius honorem laudemque tu statuas origere dicas, nonne irridere ac conuiari dicet? Idem in Christo cogita, cum vagos & peregrinos tecto videris indigentes, nec eum in iis suscipis, verniculato interim amblemate pauimenta ornas, atque parietes: muros stonis magnificos, columnarum capita erigis, lychnos & lucer-

Matt. 26.

25.

Matt. 10.

Mar. 9.

nas catenis argenteis ab aureis auratifrè laquearibus suspendis, ipsum in carcere vinctum nec quidem inuisis. Et hæc rursum dico, non prohibens magnifica templa extruere, adeoque in his gloriari, sed hæc cum illis, vel potius ante illa facere commouens. Eleemosynas inquam, facere moueo. Nemo enim quia magnifica templa non condidit, vnquam accusatus, pro harum neglectu gehēna intentata. Cū ædos ergo exornas, fratrem noli despicere, vt verius & principalius multò Dei templum. Et siquidem præparasse quosdam vasa sacra videris, aut ornatum quendam alium circa Ecclesiarum parietes, & pauimenta confecisse, noli reprehendere, aut venundari iube quod factum est, ne animum eius qui fecit, perturbes: Sin antequam fecerit, te consuluerit, pauperibus offerre iubeto. Et sanctus ergo pater hic templorum cultus, & in sacrorum ministerio vasa preciosa non improbat, etiāsi eleemosynam hīc, vt vbique sui similis præferat. Loquitur autem vtroque loco de scandalo ac murmure Apostolorum, Iudæ imprimis, ex effuso per Mariam vnguento, de quo adhuc postea in Iudæos & Iudaisantes huius sacrorum cultus irrisores. Idem alibi quod supra Augustinus, vrget ex manuum & vasorum munditia. Dic, ait, tu mihi, illotūhè manibus ad hoc sacrificium, & tam venerabilem victinam auderes accedere? non puto: quin sic fordidus temperare ab aditu sacrorū malles, opinor. In paruo tam religiosus ac reuerens, animam habens vitiorum cæno squalidam accedis, & audes impudens contingere? Quin perspicis vasorum venerandam illam supellectilem sic vndique tersam, aquis perfusam, & tanto splendore resurgentem? Atqui his par est nobis animas esse puriores, sanctiores, & virtutum ornamentis splendidiores. Cur id tandem? Illa siquidem nostri causa talia sūt: alioqui eius qui inest, eiusque virtutis inhabitantis, non capacia, nec sententia. Nos autem certè maximè. Nunc ergo sordido vase vti nolis, & anima sic contaminata immundus accedis? Et alibi breuiter, Non vides sacra illa vasa? Non ad vnum illa semper vsurpantur? audetue quisquam illis ad aliud quicquam vti? Iam tu vasis istis sanctior es, idque multò. Cur itaque teipsum sordidū reddis & pollutum?

*Homil. 81.
in Matth.*

*Matt. 26.
Marc. 14.
Ioan. 12.*

*Homil. 3.
ad Eph. 61.
ad Antiochen.*

*Locio ante
communio-
nem.*

*Homil. 14.
ad Eph.*

Hactenus os illud aureum aureæ in sacris supellectilibus
vsum non improbat. Quam superior etiam Ecclesia quã-
libet pauper adeò nec improbarat, vt apud prudentium
præfectus vrbis sub Decio principe vtique pagano, Ar-
chidiaconum Laurentium sic alloquatur.

*Hunc esse vestris orgiis
Moremque Et arem proditum est,
Hanc disciplinam faderis,
Libent vt auro antistites.*

Socr. 5. 16.

Nicep. 12.

25.

Id. 13. 22.

Cui respondens sanctus Martyr.

*Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auròque nocturnis sacris
Astare fixos careos*

*Est dives, inquit, non nego
Habetque nostra Ecclesia
Opumque & auri plurimum,
Nec quisquam in orbe ditior.*

*Is ipse tantum non habet
Argenteorum anigmatum
Augustus arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.*

Id. 14. 2.

Soz. om. 9. 1

*Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam numinis,
Vulgabo cuncta, Et proferam
Preciosa que Christus tenet.*

Euagrius.

2. 2. Nicep.

41. 47.

*Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.*

Reddita autem Ecclesiis pace per principum ad Chri-
stum conuersionem, constat idem vsum ex Constantino-
rum donariis, & Iulianis sacrilegiis, de quo post inter
eius similes videro. Ea impius hic Ecclesiæ ablata in ido-
liis reposuerat. *Idola* pius Theodosius maior in ollas, le-
betes, aliàque vasa in Ecclesiæ Alexandrinæ vsum trans-
formauit, & tri similes nostros principes esse par est? *Sub*
huius filio Arcadio, Misso in exilium Ioanne illo oris
aurei episcopo, Constantinopoli fortuitum vel potius

diuinitus factum incendium, quasi animatum esset, catenus Ecclesiæ pepercisse ferunt, vt ab ædicula solas, vbi sacra vasa asseruarentur, se abstinerit. Rideant hæc reformatores moderni, vt & *Pulcheriam* illam Augustam multò pulcherrimam Theodosium iuniorem fratrem suum docentem ædes Deo factas preciosis vasis, donariis & ornamentis honorare ac locupletare. Chrysaphio Eunucho similes hodie plures, quàm flauiano Antiochiæ Episcopo, *Quorum* illi aureum munes electionis gratia imperatoris nomine patenti, respondit hic, non esse sibi talium copiam, nisi fortè sacris ad hoc templi donariis vteretur. Ipsum verò optimè nosse, sacra Ecclesiæ vasa Deo atque pauperibus esse consecrata. Illud in historia Romana lectu periuicundum, Sacra vasa quæ Vespasiani vastatis Hierosolymis Romam secum attulerant, Genserius Rex Vádalus Roma capta secum abstulerat, à Belisario huius victore recepta, & Constantinopoli triumphata, quæ isti cunque conuasauerant, Iustiniani Christū mirificè honorantis iussu, vbi primùm fuerat à Salomone Deo consecrata, Hierosolymam esse remissa. *Qui* princeps omnia ad vsum sacrorum in templo Sophiæ Constantinopoli quanta, quamque preciosa parauerit, eloqui omnino non est, quæ tamen pluribus accessionibus Iustinus eius successor exornauit. Nec ita post Mauricius Imp. præclarum illud stemma & ornamentū quod ei Sophia Augusta socrus, & coniux Constantina ambrosiosè admodum & magnificè elaborauerant id ne semel quidem gestasset, maximo Dei templo intulit, & diuinæ mensæ consecratum, aurea catella suspendit. *Quod* ad vrbs vsque expugnationem durauisse autor est, qui & superiorum penè omnium Nicephorus. Et hæc bonis adhuc temporibus, melioribus centè quàm nostra sint.

Niceph. 15

11. Et 17. 12

Ex Procop.

De bello

Vandalico.

lib. 4. Paul

Diacon.

lib. 16.

Niceph. 17.

20.

Idem 18.

42. Paul.

Diacon.

lib. 17.

*Scholasticorum post classicos doctores hac de
& resolutio.*

C A P. I X.



X tanto igitur panis atque vini, materiae nempe consecrandæ apparatus, sacerdotum ordinatione, altariam consecratione, templorum, vasorum, amictum sacrorum cultu, omnibus retro seculis, locis, atque temporibus obseruato in omni Christi fidei Ecclesia, Scholastici (vt huic quoque postremæ doctorum classi suus in hac nostra farragine locus non desit) multò verò omnium rituum maximè ex hac rerum in mysteriis vt præcipuarum, sic sanctissimarum, id est, corporis & sanguinis Dominici, per clerum atque populum adoratione, colligunt hæc elementa benedici atque consecrari: Non vt res modò figurent atque significant, sed etiam exhibeant atque repræsentent, id est, præsentent faciant, alioqui in omni (ait vltimus horum collector) Missa committeretur Idololatria, quia cultus vni debitus creatori, creaturis, & quidem brutis, sine sensu, ac stolidis exhiberetur. Adeo rerum hîc cum signis sacris præsentia & adoratio coniunctæ sunt, se sequuntur, atque mutuò inferunt. Cùm autem Christo, vt in Eucharistia, debeat Latria, hoc est, summus diuinusque cultus, non est eo adorationis genere colendum sensibile continens, prout neque adoratur, sed contentus I E S V S. Neque tamen simpliciores, si qui adeò non possunt panem panis specie à Christi corpore distinguere, protinus idololatræ sunt, in omnibus enim eiusmodi vna est responsio, quòd in Ecclesiæ fide adorant, quod quidem sufficit eis ad salutem. Maiores verò sine peritiores distinctè adorant contentum Dominum, non verò signum continens, siue sit tantum accidens, siue panis esset cum accidente substantia.

Tria enim hoc in sacramento proponuntur discreta. *Iect. 35. 9.* Visibilis elementorum panis & vini species, quæ visibiliter cernitur: Veritas corporis & sanguinis Domini, quæ visibili signorum specie creditur: Virtus gratiæ spiritualis, quæ sub corpore Domini ac sanguine inuisibiliter & spiritualiter percipitur. Quod videmus panis est & vini species: quod sub horum specie creditur, verum Christi corpus & sanguis est.

Quo igitur sensu vulgus Christianum ait se vidisse in missis

*G. Biel. super canonem
Lectio 29
Ho. Et 50.*

Rom. 1.

Iect. 41.

G. H.

*Iect. 35. 9.
44. A. Tria
in Euchar.*

Missis aut mysteriis sacrum Christi corpus, aut ipsum etiam Deum, cum sacramentum modò viderit? Quo nimirum sensu contentum videre dicimur, cum continens modò videmus: Vt hominem, cuius vestes aut arma, quibus vestitus est aut armatus, videmus, vt vinū in vase gestari, cum vas duntaxat continens videmus, videre dicimur. Sed hic lector meminerit similia hæc, vt sunt omnia de rebus diuinis humana, de spiritalibus carnalia, de caelestibus terrena, dissimiliora esse quàm similia. Proinde cum & hoc de rebus contentis ex rebus continentibus iudicium, sit potius intellectus quàm sensus iudicium, sancti patres sæpe negant Christi corpus & sanguinem in iis sacris videri, vtique sensibilibus, sed fideliter ac indubiè credi, dum docent aliud in iis videri, aliud intelligi, res esse inuisibiles, & signa visibilia. Potest etiam concedi, diciturque, satis licet improprie, viso sacramento videri corpus Domini, & cõsequenter Deum, Dei vtique filium, ei humano corpori spiritaliter, imò hypostaticè vnitum, quo scriptura videndi modo sensuque patres toties ait Deum etiam, nedum Angelos in natura sua inuisibilis, vidisse, cum assumpta modò ab eis ad tempus corpora, & in quibus subiectis apparuissent illis, creaturas duntaxat vidissent. Vidimus, aiebant illi, Dominum. Et nos quoque Dominum videmus, sed in sacramento, id est, sacramentum videmus, in quo verè continetur, exhibetur, sumitur Dominus. Verùm hæc subtiliora concionator populum, rudem præsertim, vel omnino celet, vel certè clarè distinctèque doceat, nedum se vult subtilem ostentare doctorem, fiat errorum magister, nec tam in fide simplices informet, atque instruat, quàm turbet atque seducat. Totus I E S U S Christus Deus homo iuxta vtranque naturam sub visibilibus elementorum panis & vini speciebus inuisibiliter quidem, sed veraciter contentus ac exhibitus adoratur in hoc sacramento, latria tam interiori, fide scilicet, spe, & charitate, quàm exteriori, modo vtique capite, flexis genibus, tensis manibus, tunc pectore, & id genus externis grandi adorandique ritibus atque ceremoniis. Hæc est de Eucharistiæ adoratione Scholasticorum resolu-

D

*Lec. 45. T
T. 48. k. 50
L. o. 61. G*

*Similitudi-
nis quales-
cunque. I.
dissimiles.*

*Aug. &
Prosper. in
can. Hoc
est. &
Nec autè.
De cons.
dist. 2.*

*Gene. 32.
Iudic. 31.
Esa. 6. & 8*

tio. Cuius Biel eorum ante schisma hoc nouissimus quidem, sed anteriorum obseruantissimis, testes laudat optimos quosque Hugonem imprimis Victorinum, innocentium I I I. Pontifex Maximus, Albertum magnum, Halensem, Thomam, Scotum, Bonauenturam, &c. minorum quidem, vt ita dicam, gentium magistros, sed ordinis huius primos atque præcipuos. In quibus hac de re quid non cum superioribus patribus, maiorum, vt & sic dicam, gentium magistris, consonum & consentiens? Viderint igitur quam bene sibi conscij, quam parum candidè nobiscum agant, qui nos horum discipulos, aut lectores, vt artolatas, conuicio quam maxime possunt, odiosæ vbique traducunt, cum magistri illi nostri tam disertè tamque dilucidè doceant hinc adorari res, non signa: & contenta, non continentia. Verùm nouos hos Rabinos & reformatores mendaciloquos, memores, iuxta prouerbiū, esse oportebat. Quocumque pacto vel sibi constant, vel non mentiuntur, dum simul nos dicunt & hinc panem colere, & hinc panem tollere? vel, quod in idem redit, nos panis hinc substantiam absentare, & panem hinc tamen adorare? Sed hoc istos male habet, quod Theologiæ scholæ recentior hæc, vt peruetus illa, tam præsentia hinc faciat signata, quam signa, tamque adesse Christi corpus & sanguinem, quam panis & vini species seu elementa. Litigent verò hinc, & corrixentur Zuingliani veteres ac noui cum Lutheranis, præsertim præfractis, non cum Scholasticis, de vtrâque tum præsentia, inquam, tum adoratione, vt dogmatibus valde vicinis, imò apertè coniunctis. Et si quidem illos offenderit illud in ostensione sacramenti, vel Halensis. Adoro te IESV CHRIS- T E, &c. vel Aquinatis, Tu Rex gloriæ Christe, Tu, & cætera, quem versiculum ferunt doctorem hunc tunc cum sequentibus solitū recitare, & hac eum, quem omnis inuocat creatura, inuocatione adorare. Hæc inquam, precularum aut similes, si quos offendunt, complacare debet eos Ecclesiæ pene totius ad Christum in his tunc sacris ceu presentem quatenus hominem, cum precatione alloquium (de quo supra) Agnus Dei, & cætera.

Artolatra.

Res in Eucharistia sicut præsentia, quam signa sint præsentia. Sic passim Brentius. Flacius, &c.

Biel ubi supra Anton. Pizama- nus in eius vita. Clitonus in cant. cū. Tereum.

Et dei enim Agnus est, quâ homo, non quâ Deus.

Erasmica super hoc examinata.

C A P. X.



AD quos (non magis nobis, nostrisque antea hac de re dictis, quam sibi mutuò suorumque super eadem re scriptis contradicentes) antequam venio, addam & aliam cultu huius rationem ex Diui. Erasmo, scriptore tantò utique mihi magis grato, quantò est aduersariis inuisior. Is ad quendam parum pie de hoc sententiam, ita scripsit. Ecclesia mihi persuasit Euangelio credere, eadem magistra verba Euangelij interpretari, hactenus cum omnibus Christianis Christum pro me passum adoravi in Eucharistia. Nec adhuc video cur debeam ab hac opinione recedere, Nullis humanis rationibus, abduci potero à concedi sententia Christiani orbis.

Quid afferunt isti quod tam impiam tamque seditiosam sententiam profitear? Rationes stupeas, Non admirati sunt, non adorauerunt Apostoli. Et post aliquanta de verbis Cœnæ & patribus. Scis me in nullo dogmate per omnia sentire cum Luthero, & hîc ad Carolstadum, qui à suo ipsius dogmate iam descivit, recedam à communione Ecclesiæ catholicæ? Si tuus animus vacillat, ut solebas profiteri, qui nihil tribuis auctoritati pontificum, & conciliorum, meum contra animum confirmat, Ecclesiæ catholicæ consensus, Si tibi persuasum est Sinaxi nihil esse præter panem & vinum, ego membratim discerpi, quam idem quod tu, profiteri: & omnia perpeti malim, quam tali flagitio contra meam, conscientiam admissio ex hac vita denigrare. Non patiar ut istius me dogmatis vel autorem facias, vel comitem, quod mihi nunquam fuit nec in ore nec in corde. Minitaris mihi calamum Zuinglij, quasi metuum decem Zuinglire, si mihi Res esset cordi. An mihi non licet, quod Luthero, qui vos, nisi fallor totis copiis ado-

D ij

Ad policanum. Lib. 19. Farraginis Epistolarum.

rietur? hoc Erasmi testimonium tanto magis serium est, quod huius præsertim conuersiæ causæ, sodalibus alioqui charis, & congerronibus veteribus omnem tum amicitiam, tum etiam consuetudinem renunciauerit. Et ad Ludouicum Berum Basiliensem, lutetiæ Theologum. Nullum Ecclesiæ sacramentum non semper veneratum sum. De Eucharistia nullum video argumentandi finem, tamen mihi nunquam persuaderi potuit, neque poterit, Christum, qui veritas est, qui charitas est, tandiu passurum fuisse dilectam sponsam suam habere. In errore tã, abominando, vt crustulum farinatum pro ipso adoraret. Idem inter aliquot amabilis Ecclesiarum concordie rationes super adorandæ Eucharistiæ scrupulo, Adde, inquit, huc, quod nullum sit sacramentum tam humile, cui non assistamus nudis capitibus, cum administratur, velut in baptismo, in confirmatione puerorum: Quid sentiunt qui putant idololatriam esse, si huic sacramento caput aperiunt, etiam si Christi corpus & sanguis: tantum ibi essent in sacro signo? iam si (pro quia) in Eucharistia, totus est Christus, cur non est adorandus? Nullus enim tam stolidus, vt vel humanam Christi naturam pro diuina, vel panem & vinum pro Christo adoret, & tamen id quod in Christo propriè adoratur, nusquam non adest. Hæc ille, non malè, iudicio quidem meo, nisi forte quadautenus minus cautè scripta, aut ingeniosorem paulò in alieno libro lectorem nacta potiusquàm desiderantia. Qualis ei hîc, vt vbiq; penè alibi, obtigit Ambrosius Catharinus, qui inter ea quæ hîc imperito lectori possent facere phantasiã, & timorem, vbi minus oporteat, iniicere, obseruat & hoc, humanam naturam pro diuina non adorandam, præterquam, quod est veterum hæreticorum commentum, carnis videlicet Dominicæ adorationem calumniantium, manifestam quoque habere fallaciam. Non enim cum corpus Christi adoratur, humana Christi natura præcisè adoratur, vt à diuina seiuncta, sed adoratur latrã Christus homo, quia & deus. Quod etiam adiecit, Quod propriè adoratur, nullibi non esse, naturam scilicet diuinam: dictum aut inconsideratè, aut ad fallaciam, primùm quidem, quod

*Ioan. 14.
1. Ioan. 4.*

*In Psal. 83
Quum dilectis.*

*Lib. 2. de
de certâ
gloria.*

*Adoratio
proprio per
sonæ.*

Deus ipse magis propriè adoratur quàm deitas siue diuinitas, aut diuina natura, Adorationem enim personæ propriè esse, non naturæ: Deinde diuina licet natura nullibi non sit, vt adorari possit, vtique tamen Deus est, alibi atque alibi, aliter atque aliter, ideoque nec simili vbique modo, nec decenter adoratur. Nec enim loca omnia, etiam quæ minus honestè nominari possunt, diuino cultui, & externæ (de hac enim hîc loquimur) adorationi congrua sunt, vt vel ædes sacræ, de quibus dominus, Domus mea, domus patris mei, domus est orationis, vel cubiculum, de quo idem, intra, & ora. At insigni modo Deus est in carne Christi, & sacramento. Illa enim humanitas singulariter Deo in hypostasi iuncta est, vnde in carne illa diuinitatis plenitudo corporaliter habitat, Ideoque totus ipse Christus Emmanuel, in hoc sacramento, quanquam secundum seipsum inuisibilis, adorandus nobis imprimis offertur, antequam sumatur. Addit Iacobus Latomus peculiari tractatu. Erasmicæ concordia discussorio, & hic in Erasmo offendere, quod fideles videatur auocare à Christi, prout est in hoc sacramento, consideratione, quod in Christo (inquiens) adoratur, vbique est. Nam hoc singulare Dei beneficium debet habere suum peculiarem honorem, prout suam habet specialem fidem. Vt enim Deus incarnatus adoratur à Baptista in vtero, à pastoribus in focuo, à magis in stabulo, ab Angelis in deserto, Sic adorari debet à fidelibus in sacramento. Non igitur sufficit ei qui Missæ interest, vt Christum adoret, quod vtique necessarium esset etiam si realiter in sacramento non esset. Imo si nec hoc vnquam sacramentum institutum fuisset. Nec adoratur sola deitas, aut hypostasis, que vbique est, sed Christus vt in hoc sacramento præsens, Sic enim Christum adorat omnia diuinæ mensæ particeps, antequam accipiat, Sit licet fides in Christum necessaria, & presupponatur in sumente, siue spiritualiter tantum, siue simul & sacramentaliter, & tamen non sufficit, sed requiritur propria & peculiaris, qua creditur verbo eius dicentis, hoc est corpus meum. Et caro est mea quam ego dabo. *Spirituali-*
Et qui manducat me, viuet propter me. Credere enim *manducare.*

*Matt. 6. 2**Marc. 11.**Ioan. 2.**Col. 2.**Eucharist.**cubiu. vt**fides pecu-**liaris**Luc. 2.**Matt. 2. 4.*

Tract. 25.
Ioan. 6. cap.
De cō. dist.
2. can. Ut
quid.
Concomi-
tantia.

Adoratio
conditiona-
lis.

Biel. lectio-
ne 50. 8. in
canone.

Caietan. in
2. 2. Quest.
1. Artic. 3.
Arg. 4.

eum ibi præsentem esse, etiam cum carne viuificatrice, eamque desiderare sumere sacramentaliter, hoc est propriè & perfectè spiritualiter manducare, de quo intelligitur illud Augustini. Quod paras dentes & ventrem? crede, & manducasti. Rectè interim Erasmus prædixit Christum in Eucharistia adorandum, quia ibi totus est, id est, secundum integritatem vniuersæ naturæ, corpus quidem & sanguis, ex vi diuinæ consecrationis, cætera per concomitantiam inseparabilis vniõnis. Nam & si hoc loco conditionaliter loquitur, infra tamen asserit in sacramento esse vinum corpus, & diuinitati hypostaticè vnitum, efficaci vtens argumento, quia nec ab examini eius corpore, cum in sepulchro iaceret, separata fuit diuinitas. Quò, ait, (contra tot sacramentorum formas) satius erat in eo perseverare, quod nobis tradiderat catholica Ecclesia? Tradidit autem ibi verum esse Corpus & sanguinem Domini, haud dubiè quin viuum. Quod si credimus in sepulchro diuinam naturam non fuisse separatam ab examini corpore Domini, quanto eam credibilius est à viuo corpore non esse in sacramento separatam? Hactenus Erasmo conuenit cum Latino. Quod autem subijcit Erasmus, Quod quia nemo certus est an sacerdos verè consecravit, præter ipsum vnum, nullus adorat ibi Christum nisi sub tacita conditione, nihil obstat debitæ adorationi, & agnoscit Catarinus hîc tacitè semper inesse conditionem, quam, ait exprimere non necesse est. Sufficit enim habitualis conditio, si Rectè, vt puta, & debito modo consecratio facta sit: adeò vt nulli, vel certè pauci hac in adoratione peccent, omnibus hanc vique conditionem tacitè aut saltem habitualiter habentibus. Quod in de manifestum est: Si adorans Requiritur, Quid faceres, si quidè consecratio nō rite facta esset? haud dubiū quin fidelis quisque ita requisitus responderet, nequaquā adorarem. Verū adeò quādiu hic sumus, hominibus humana sufficit certitudo, vt non desint qui contrā contendant, absolutā hostiæ hîc esse adoratione: Alioqui si sub conditione hic adorandum esset, nihil non

alibi sub conditione faciendum nobis esset, adeundi venerandique sub conditione forent Episcopi, presbyteri, &c. si nimirum rite baptizati, rite ordinati, rite atque ita verè baptizarent, consecrarent, absolueret: hæc enim & similia pendent ex intentione tum ministri, tum suscipientis. Vtrunque sit, vt is error eaque fictio sacerdoti esset grande flagitium & sacrilegium, ita fideli simpliciter credenti, solitoque modo venerati cultus innoxius. Sed ab his nimium fortè scholasticis redeamus ad Erasmi, nobis consona, & aduersariis dissona. Cùm summam, ait, doceant impietatem & idololatriam esse adorare Eucharistiam, quod factum est ante ætatem Augustini & Cypriani tempora, & vt est credendum, ab ipsis traditum Apostolis, nõne damnant totam Ecclesiam? Et aliquantò post, Hoc demiror, qua fronte nobis concedent, qui fortiter affirmant esse sceleratissimam idololatriam adorare panem pro Christo. Et cur nos, ait, tot conuictis onerant, qui simpliciter quod ab Ecclesia traditum est, amplectimur? Hic, opinor: eatenus noster est, non aduersariorum. Clariùs adhuc præfatus in Algerum Berengarij quondam, & hodiernorum Berengarianorum aduersarium, quem se fatetur summo cum animi fructu perlegisse, & cùm antea nunquam hac de re dubitasset, ex hac sibi lectione non parum & confirmatam sententiam, & auctam esse reuerentiam. Quantam enim puritatem, quantam, ait ibi, reuerentiam ac tremorem requirit hoc terque quaterque adorandum mysterium, quis dignè verbis assequatur? Quis autem credat illos ex animo credere, qui dum hoc peragitur mysterium in templo fabulantes obambulant, aut quod alicubi velut ex more fit, in foro pro templi foribus stant, otiosis fabuliterentes tēpus? Quidam vix ostensis mysteriis sese proriipiunt in popinam, templumq; vacuum relinquunt. Quid hoc moris est? Dum agitur ridicula fabula, manes donec audias. Valere & plaudite: & tam cœlestis mysterij finem expectare non potes? Circumstant mensam illam adorabundi spiritus Angelici, præsens adest, in quem tota cœlestis militia gaudet prospicere, & tu, perinde quasi ludicra res agatur, aut nauseas oscitalque, aut garris aliquid, *Angeli in mysteriis adorabundi.* I. Pet. I.

*Silentium
inter sacra,
genus ad-
orationis.*

*Angeli
ad altare
ministrant.*

*Ann. 1560.
1548.*

aut potas? Iam video morem apud pleròsque receptum, non quidem impium, quia ab affectu pio, licet humano, profectum, certè præter veteris Ecclesiæ consuetudinem inductum videri posse, vt dum peragitur consecrationis mysterium, chorus prolixè occinat. Atqui si priscum Ecclesiæ morem seruare velimus, id temporis nulla vox audiebatur in toto templo, sed populus in terram pronus, tacitis affectibus Deo patri, qui filium suum in mortem tradiderit pro salute generis humani, gratias agebat. Huc nimirum hortante sacerdote, & populum ita alloquente, Sursum corda, Gratias agamus D. D. N. Nam ineffabilibus mysteriis nulla res magis conuenit quàm *Silentium*, nec alio modo dignius laudatur stupenda Domini IESU in nos charitas, quàm illo *Loquacissimo* silentio, dum silente vocum humanarum strepitu, submissò corpore mens erecta soli Deo loquitur. Vt autem populus pro dignitate veneretur hoc mysterium: non parum habet momenti vita sacerdotum. Quos huius adorandæ functionis ministros oportet non gestibus tantum, vestibus aut vocibus, sed totius etiã vitæ tenore, muneris sui dignitati respondere. Agnoscant sacerdotes suæ professionis sublimitatem, cum altant altari, ministros habent *Angelos*: hinc quidam digressi, non grauantur esse sodales infimæ fecis hominum, ne quid dicã asperius. Ne, quæso, mores eorum qui functione obeunt Angelica dignitate maiorem, porrigant hæreticis ansam impiè sentiendi de tam ineffabili mysterio, &c. Habes ex his (pauculis licet studio per nos omissis ac immutatis) Eucharistiæ mysterium, mensam, atque functionem, ab angelis, nedum hominibus adorari. Cuius etiam verba de sacris his olim silenter aut silentio solitis adorari, leguntur eadem penè in fragmento Caroli Magni ad Albinum de veteris Ecclesiæ ritibus, per Lazium. Et in Exegeti ad Missæ canonem hic impressa. Sic autem habent ea, Post has laudes, (præfationis vtique & hymni trifagij) & gratiarum actiones pro tanta gratia redemptionis nostræ, quæ in illo diuino mysterio agitur & cõmendatur, facto totius Ecclesiæ silentio, in quo cessante omni strepitu verborum, sola ad Deum dirigatur intentio & deuotio cordium, sociatis

fibi omnium votis & desideriis, incipit sacerdos orationem fundere, qua ipsum mysterium Dominici corporis & sanguinis consecratur. Huius quoque silētiū meminit sic Chrysoſtomus, Cum tanto horrore aſtāt omnes, aſtāt & illi (Angeli) clamātes omnibus ſilētibus, & putas ſimpliciter hæc fieri, & alia quæ pro Eccleſia, quæ pro (vel à) ſacerdotibus offeruntur? Abſit. Et alibi, Non conſideras, ut coram Regibus omnis coërceatur tumultus, & maximum vndique ſilentium cōmendetur? Et tu igitur Regalem ingreſſus aulam, non eam quæ in terra eſt, ſed quæ multò eſt terribilior, videlicet in cœlo, plurimum reuerentiæ atque ordinationis, oſtende. Etiā ſi hoc fortè loci de oratione priuata loquitur. Sed de Euchariftia clariffimè alibi, ſtrenue gementes ſine voce, iubilantes corde. Annon eos vides qui mortali, tēporali, terreno regi aſſiſtunt, quàm ſint immobiles, non loquentes, non oculos huc illuc mittentes, &c. Tantò poſterior Vvalafridus de ritibus Eccleſiaſticis, fatetur minus apertè legi, quis Antiphonam quæ ad cōmunionem dicitur, ſpecialiter addiderit officiis noſtris: cum verè, ait, credamus, Priſcis temporibus patres ſanctos ſilētio obtuliſſe, vel cōmuniſſe, Quod etiā hæcenus in Sabbato ſancto Paſche obſeruamus &c. Nam qui nūc vbiq; penè quotidie apud nos canitur in hoc Miſſæ articulo verſiculus, *O ſalutaris hoſtia*, &c. annis paulò ſuperioribus ſub principe noſtro Chriſtianiffimo Ludouico XII. cum vndiquaque in florentiſſimum hoc regnum coniuſurati hoſtes inſurgerēt, armis id inſeſtis opprimere molientes, ad improbos eorum conatus opprimendos, laudabiliter inſtitutum eſt, ut in altaris ſacrificio (ſub elevationē corporis & ſanguinis Dominici) per omnia loca quæ Regni huius ambitu continentur, à fidelium choro decantaretur. Quod inſtitutum qui multa tum pietate, tum ſedulitate palam obſeruatum perſpexerunt, multū quoq; contuliſſe credunt ad placidā pacem & tranquillitatem paulò poſt in omnibus Regni ſuibus tum obtentam, Dei imprimis gratiæ acceptò ferendam. At recentiores Synodi Prouinciales ſub tēpora Tridentinæ Generalis, Treuerenſis altera anno 1549. de hoc ita canit, In elevatione corporis & ſanguinis Chri-

*Homil. 23.**in Act.**Homil. 19.**in Matth.**Sermo. in**Encenſis.**cap. 22.**D. Clēto-**ueus lib. 1.**hymnorum**Eccleſiaſt.*

Silentium.

sti, & post, vsquedum cantatur Agnus Dei, fileant organa, nulla canterur antiphona, neque pro pace, neque aduersus pestem aut mortalitatem, sed *Silenter* pro se quisque, aut flexis genibus, aut prostratis humi corporibus, passionis ac mortis Christi commemorationem faciat, ac redemptori gratias agat pro beneficiis per mortem ipsius largissime acquisitis. Augustensis autem superiore, hoc est, 1548. anno adhuc propius antè dicta, sic, Sub elevatione sacrae hostiae, antiphonae ad hoc sacrificium tantum pertinentes cantentur: quanquam melius & veteri Ecclesiae conuenientius esset, praesentiam Domini corporis in altissimo *Silentio* prostratos contemplari. Si quae autem aliae antiphonae ex consuetudine aut fundatione cantari solitae fuerint, ea peracto sacro cantentur. Haec de silentio inter sacra. Alia porro Erasmica huius tum praesentiae, tum adorationis confirmatoria, in hoc opere passim & sparsim occurrent.

Bohemica quaedam in hanc rem excussa, & obiter de luminaribus. Cap. XI.



N hunc velut angulum reiecit aliquot, qui alias de Eucharistia cum Catholica minus sentiētes, at errorem certè super eius adoratione superioribus dictis cōtrarium, vel nunquam sunt amplexati, vel aliquando amplexum reuocarunt, hi sunt duo Hussitarum Coryphaei, M. Ioannes Rokyzana, & M. Ioannes de Pozibrá.

Cap. 13. Hic in professione fidei suae, quam & antiquam inscribit, de hoc sic profitebatur, Christum verum Deum & verum hominem esse & vitare in hoc sacramento, secundum suam propriam naturam, & substantiam corpoream, & naturalem eius existentiam, eandem penitus in numero quam sumpsit ex virgine matre, & iuxta quam residet in caelo in dextera Patris. Et pro maiori fidei huius expressione, Totus, aiebat, & integer Christus, Deus & homo, secundum se totum, & secundum corpus suum naturale, est & viuit in altaris visibili sacramento, secundum veram & naturalem existentiam, & naturam sui corporis & san-

14.

guinis, suæ humanitatis & Deitatis, animæ atque spiritus, suppositaliter in eodem secundum hæc ibidem existentis & viuentis, & iuxta eandem existentiã omnium membrorum naturalium ibidem in sacramento vita naturæ viuentium, quæ sumpsit de matre, secundum quæ sedet ad dexteram Patris, Christi denique corpus & totum Christum, non minus, nec secundum minus maiusve, esse in hoc sensibili sacramento, quàm in cælo: Idq; tenendum credendumq; ab omnibus firmiter & inuiolabiliter. Hæc se sententiam plenè alibi deduxisse, magna scripturæ & omnium penè doctorum à primo ad vltimum congerie. Eadem fide corde credendum, ore confitendum, corpus Christi, seu Christum verum Deum & hominẽ, modo supradicto, veraciter in hoc sacramento existentem, in eodem à fidelibus Patriæ cultu colendum, adorandum, inuocandum, vt Deum, redemptorẽ, creatorem, & per consequens vt summum bonum ibidem diligendum, requirendum, honorandum, & tremendum. Hanc sententiam comprobare practicè doctores sanctos, antiquos, maximos, Dionysium, Ambrosium, Augustum, Chrysostomum & alios multos. Et ante annos xx. M. Ioannẽ Hus cum magistris & doctoribus, ex pleno consilio suo, & vnanimi consensu, nullo, vt dicebant, contradicente, reprobasse, refutasse, prohibuisse publicè coram omnibus & manifestè articulos Vicleffi circiter xl. nominatim hunc, Quod Christus non est in eodem sacramento identicè, & realiter in propria præsentia, subaudi & existentia corporali. Hoc idem fecisse facultatem Theologorum Pragensium, & doctores in Romana curia, Anglia, Francia. Quo cum securius & cum sanctis Ecclesiæ doctoribus, in hoc præcipuè puncto sentiente, quàm cum Vicleffo omnes tales hæreticæ, id est, hæreticos impudẽter appellate. Prior autẽ Hussita Rokizana tractatu de sacramentis, De materia, inquit, Eucharistiæ in sacramento scilicet, quod ibi sit Christi corpus de virgine natum, & sic secundum suam propriam existentiam & naturam, alij determinarunt priores, præsertim M. Iacobus de Misna (& hic quoq; Hussita) publicè in schola Vniuersitatis, in lectorio Theologorum, ann. 1528. Hoc autẽ dico, Corpus Domini esse templum Diuinitatis & sanctissimæ Trinitatis.

Corpus Domini non minus in altari, quàm in cælo.

18.

21.

Hussus Vicleffum articulos damnauit anno 1408. hic enim liber scriptus est. 1428. Pragenses. Cap. 12.

Iacobellus Misnen.

In quo tanta mirabilia Dei infiniti in sapientia & virtute concurrant, tam gloriosa, alta, maxima, quod omnes cœlestes virtutes, omnes omnium hominum & seculorum intelligentiæ in æternum habeant satis admirari, & admirando ad plenum admirari non sufficiant diuinam dignationem, liberalitatem, maiestatem, sapientiam, potestatem, misericordiam, communicabilitatem suæ bonitatis: in quo est omne bonum propositum, in conspectu filiorum Dei: in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Quapropter iustum est, sanctum, æquum, salutare, quòd Christiani habeant ipsum Christi corpus in sacramento contentum, in summa reuerentia, timore, desiderio, amore super terram. Sic quòd omnes primùm sacerdotes, & clerici cæteri debent suas orationes & psalmodias ibi frequentare in præsentia, vbi est corpus Christi: Rex & Dominus omnis terræ. Vbi angelorum frequentia, sicut scriptum est &c. prout S. Hieronymus in lectulo decumbens infirmus, sacerdote ad eum cū Eucharistia diuina veniente, fecit in hæc verba, O ferculum excellentissimum, venerandum, colendum & adorandum, glorificandum, amplectendum, & omnibus laudibus extollendum! Hæc super eius morte Eusebius. Vnde grauius peccat, & durè arguentur, qui ad hoc Deificum corpus in hoc sacramento leuiter se habent, & Domini Dei sui ibi verè exiteatis obliuiscuntur. Ex quibus amplius patet, quòd sacerdotes leuiter sacramentum deferentes & ministrantes, & negligentia & incuria sacramentum sanguinis effundentes, grauius peccant, ex veteri canone Pij I. Papæ & martyris, de sacramento negligenter in terram stillato lambendo à ministro: si super altare, sorbendo: si super lintamina, hæc ter abluenda: pœnitentia huius ergo dierum modò III. modò IIII. modò XX. modò XL. negligentibus iniuncta. Hinc patet, ait, differentia inter Ecclesiæ primitiue sacerdotes, & modernos, qui modò leuiter circumeunt cum sacramento illo tremendo, modicum vel nihil curantes si humi cadat aut effundatur, adhuc ore polluto in diuini mysterij vilipensionem, dicentes, Non nocet ipsum in terram cadere, quia & in terram olim sanguis Christi profuebat. Addit

Col. 2.

Psa. 137.
S. Hierony.
Eucharistia
moribundus
adorauit.

De cõs. dist.
2. ca. Si per
negligentiã.

& aliud indecens huic sacramento, quòd pro huius ho- *Vasa Et cor*
 nestate minus munda tum erant vasa & corporalia: cum *poralia munda.*
 tantò antea Clemens I. de tota ministerij sacri munditia *da.*
 præceperit, vt clerici calicem ad perferendum Christi san *can. Tribuo*
 guinem sic præparent, ne non bene lotus calix peccatum
 fiat offerentibus, sic reliquias & fragmenta corporis Do-
 minici cum timore ac tremore custodiant, ne qua eis fiat
 iniuria, aut putredo in sacrario reperiat, aut puluis, aut
 murium simus, aut aliud eiusmodi. Ex Arelatensi Conci- *ca. Qui bene*
 lio, idque sub Anathematis, aut pœnitentiæ alioqui diu-
 turnæ pœna. Ergo delirare, qui minus hæc diligenter cu-
 stodiant, sic vt venientes ad medicamen accipiendum,
 videntes vasa immunda & illota, rideant & fastidiant, aut
 etiam ex clericorum incuria in fidei perplexitatem inci-
 dant. Cum Christi contra in hoc sacramento corpus à
 cunctis debeat fidelibus in timore ac reuerentia obserua-
 ri. Nam timorem quidem nos docuit Apostolus, dicens, *can. Timo-*
 Qui indignè sumit, iudicium sumit. Fidem verò, sermo *rè, ex Basil.*
 Domini, Hoc est corpus meum, &c. Nulla ergo irreue- *78. Synodo.*
 rentia, nulla deordinato, mali nihil coram hoc Deifico *1. Cor. 11.*
 sacramento, imò coram Domini corpore, exercendum. *Deifico*
 Si quid exercetur tale, tales ipsum Iesum dehonestant, & *sacramentum.*
 diuino abutuntur sacramento. Quod non sic primitiua *Communi-*
 Ecclesia quibuscunque passim & qualitercunque viuenti- *cantes indi-*
 bus exponebat, exclusis non tantum ab eius perceptio- *gnè.*
 ne, sed etiam visione palam indignis, quales quârun-
 que scilicet indigni, contra non tantum nunc aspiciamus, *Comunicari*
 sed etiã sæpe recipiunt. Atqui ad hanc magni Regis men- *ter dignè.*
 sam accedentes, siquidem rectè credunt & sapiunt, recu- *Mat. 24.*
 bunt inter angelorum frequentiam, & sanctorum om- *Luc. 17.*
 nium epulas, ibi enim congregantur, vbi corpus est: ibi *Mat. 22.*
 admiscetur, vbi Regis est æterni conuiuium, vbi sp̄sus *Vestis nu-*
 & sponsa dulcibus fruuntur deliciis, vbi & Rex ingredi- *p̄tialis fides*
 tur vt discumbentes videat, num suū ip̄sus corpus à cor- *per charita-*
 poribus terrenis in conscientia sua discutiant atque diu- *tem operans*
 dicent, num vestè in qua renati sunt, habeant nuptialem *Gal. 5.*
 vt certè non habent qui veram de hoc sacramento diui-
 nissimo fidem non habent, & ad Christi in eo corpus col-
 lendum, venerandum, adorandū, in ipso, mundanis gau-

*Jac. 2.
Matt. 7.*

*Juda Isca-
riota.*

*Thaborita
tunc nunc
reformatio-
res.*

Cap. 14.

*De verbis
Domini ser.
58.*

*Simile pur-
puræ Dia-
dema.*

diis postpositis, gaudendum, cum magno timore & amore non afficiuntur: aut siquidem fidem habent, sine operibus, quasi foetidum cadaver sine spiritu, habet: indispositi, impuri, per omnia porcis penè similes & canibus, hoc sancto, hac margarita prorsus indigni &c. Ad quod sanctum, margaritam, tantam primæui sancti reuerentiam olim habuerunt, ut sacram eius supellectilem præ cupiditate distrahentes, reos peccati Iudæ tenerent. Sic enim qui antè Clemens I. Si fortè quispiam presbyter aut diaconus sacrarij sindonem aut velum subtracta vèdiderit, Iudæ similis æstimabitur Ischariotis: & siquidem hoc cupiditate fecerit, eiusdem se pœnam suscepturum norit. At moderni Christiani calices, corporalia, pyxides, ceteraque pro corpore Iesu deputata, suo omnia lucro deputant, & ad vsus quandoque inhonestos & inuerecundos conuertunt. Adicit adhuc, ut sapientibus occasio, simplicibus fulcimentum præbeatur contra dicentes Domini corpus in hoc sacramento solùm ad manducandum, non etiam ad colendum, Augustinum sic concionantem, Ego carnem Dominicam, inò perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia à diuinitate suscepta, & diuinitati siue deitati vnita est: ut non alium atque alium, sed vnum eundemque Deum & hominem Dei filium confitear. Nam si hominem à Deo separaueris, ut hæretici quidam, ei nunquam credo, nec seruiò. Nam si quis nostrum regiam purpuram aut diadema humi iacens inueniat, non adorabit: cum verò Rex ea fuerit indutus, periculũ mortis incurrerit, qui simul cum Rege adorare contempserit. Ita humanitatem in Christo non solã aut nudam, sed diuinitati eius vnitam, vnum Dei filium, Deum verum & hominem verum, si quis adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur. Sic ille opponentibus quod Domini carnem, quam esse creaturam non negaret, simul cum diuinitate adoraret, illique non minus quàm huic deseruiret. Sed quoniam nulla hîc speciatim fit Eucharistiæ mentio, Hussita hic præposuerat eiusdem titulo illud Emiseni, Quia corpus, antè allegatum. Et subiiciens illud iudem Augustini indubitatum, quòd illam carnem nemo manducet, nisi præadore, sic conclu-

dit. Ex quibus patet quod sacerdotes cum populo fide-
 li debent exterius per genuum flexiones, capitis incli-
 nationem, prostrationem quandoque faciei in terram,
 reuereri & colere Christum, eiusque corpus in sacra-
 mento. Sic pastores verbo & exemplo populum docere,
 vt contremiscant adorando & colendo, summumque ac
 viuacem respectum circa hæc diuinissima & ineffabilia
 mysteria. Ex quo patet, ait, error impiè dicentium, cor-
 pus Christi vel sacramentum solum nobis datum esse ad
 manducandum, & sanguinem in calice solum ad biben-
 dum, non ad colendum aut adorandum: inaniter item
 & fatuè iridentium accensionem luminum coram Do-
 mini corpore in sacramento, ac dicentium, Deum lucem
 esse, nec egere lumine. Nam & in veteri lege, Domini
 quoque mandato lumina, lucerne, candelabra coram pani-
 bus propositionis, qui figura tantum erant corporis Do-
 mini in sacramento, disposita exardebant: multò decen-
 tius idè in tanti sacramenti presentia fieri. Decens & ho-
 nelum eadem ardere coram sanctorum corporibus &
 ossibus. Sanctorum item primorum temporibus in fune-
 ribus demortuorum Christi fidelium lampades accende-
 bantur, multò decetius, honestius, & sanctius eadè accendi
 coram tam diuino & Deifico Christi corpore: Et subdit de
 hoc Honorianam, Sanè suo antè loco non omissam. Sed
 rudes & grossi, vt loquitur, contemptores illi reuerentia
 decentis corpus Iesu, & ipsius sacramentum, sciant cau-
 sam cur lumina coram sacramento accendantur, vel ex
 Isidoro, Acolythi Græcis, Latinis dicuntur Ceroferarij,
 à portandis cereis, cum aut legendum Euangelium, aut
 offerendum sacrificium, Tunc enim ab eis accendantur
 deportanturque, non ad tenebras solum tam rutilante su-
 gandas, sed ad lætitiæ signum, & lucem illam veram sub
 typo luminis corporei demonstrandam. Renarratur &
 ex Chrysostomo, quàm sanctos & mûdos sacerdotes esse
 oporteat tum animâ, talis spiritus receptrice, tum mani-
 bus tantarum rerum ministris, tum lingua verba illa
 fundente, tunc etiam sacerdoti circumstantibus angelis,
 cœlestibusque virtutibus tribunal & altaris locum, in e-
 ius qui immolatur honorem, adimplentibus. Mundos

Cap. 15.

Luminariū

coram sacra

mento vsus.

Exod. 40.

Argumentū

à figura ad

veritatē pa-

nis proposi-

tionis.

Hieron. ad

Riparium.

Chryf. hom.

70. id An-

tiochen. 4.

ad hebr.

Deificum

D. corpus.

Etymologi.

lib. 7. c. 12.

Acolythi.

Lib. 4. Et 6.

de sacerdo-

tio.

Angeli ad

altare.

autem ab exteriori etiam immunditia, ut & post sacramenti contactum caueant ab aliarum rerum contactu siue lotionem. Quod ait militare contra sacerdotes leuiter manibus illotis diuinum sacramentum contrectantes, aut post eius contrectationem, manus ad terrena & materialia sine omni lotionem expandentes. Hæc insigne illud Hussitarum par, in libellis per D. Cochlaeum euulgatis: quorum ille quidem maturè ad cor rediit, hic autè sectæ immortuus est, utroque sublatis calicis odio, nihil curiosius quam in Ecclesia Romana errorè eatenus non animaduersum quærens, & tamen cum ea de corporis & sanguinis Domini in hoc sacramento tum præsentia, tum etiam adoratione conueniens. Neuter utique super hoc dogmate conuenturus, nisi non inueteratum modò, sed & Catholicum, & nusquam non gentium Christi fidelium, & nullo non unquam post Apostolos seculo receptum, omnibus alioqui tentatis, omnia scrutati, fuisse certò rescisissent. Vnde in historia Hussitarum ex libro priorum contra Petrum Payne Anglicum Viceffi asseclam, legitur hic articulus, Dicere corpus Christi esse in sacramento altaris solùm figuratè, vel in signo, vel virtualiter, vel secundum dona solùm & gratias à corpore Christi distinctas, & non cum hoc secundum substantiam & existentiam naturalem: non est catholicum, sed catholicæ fidei contrarium & aduersum. Et articulo sequenti, siue III. qui est eiusdem Pizibramij ex professione fidei antiquæ XVIII. præallegatus, de corpore Dominico sic, id est, veraciter præsentem, ac proinde latria colendo, inuocando, &c. causatur ita, quia in nullo habitationis suæ loco, in terris nobiscum ita certitudinaliter & infallibiliter, sicut in huiusmodi habitationis suæ loco, in ipso scilicet sacramento. Sed de Hussitis adhuc suo post loco: quorum ut mentio hic obiter licet iniecta, lucro non profus careat, quia cultus huius testem bis laudauit S. Hieronymus. Et hic pater sanctissimus nobis huius libri finis sit, & idem sequentis initium.

Clau.

*Cochlaeus
libis.*